



ANNUENTE CHRISTO INDULGENTISSIMO!
TRACTATUS JURIDICUS,
De 1674
POTESTATE IGNOSCENDI,

67
4

Quem
CONSENSU
AMPLISSIMÆ
In Illustri Teutoburgensium Universitate
FACULTATIS JURIDICÆ;

aggratiandi

PRO DOCTURA
Publicè tuebitur
PRÆSES
WILHELMUS CRUSIUS,
Philos. Theoric. Professor Ordin.

RESPONDENTE
JOHANNÆ ÆGIDIO HERLET,
Moersensi, LL. Stud.

Anno Salutis M. DC. LXXIV.

DUISBURGI ad RHENUM,
Apud FRANCONEM SAS,
Academ. Typogr.



*SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,*

D O M I N O

**FRIDERICO
WILHELMO,**

MARCHIONI BRANDENBURGENSI
S. R. I. ARCHICAMERARIO ET ELE-
CTORI,

SUPREMO BORUSSIÆ DOMINO,

DUCI MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIÆ,
MONTIUM, STETINI, POMERA-
NIÆ, CASSUBIORUM, VENEDO-
RUM, UT ET CROSNIÆ ET CAR-
NOVIÆ IN SILESIA,

BURGGRAVIO NORENBERGENSI,
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ
ET CAMINI,

COMITI MARCANO ET RAVENSBER-
GICO,

DOMINO RAVENSTEINII ET TERRA-
RUM LAUENBURGII ET BUTO-
VII.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

SI quantum pacis bellique gloria fulgoris è Clemen-
 tiâ trahit, tantum è Clementiæ argumento dignita-
 tis mea conciperet Tractatio; non utique vererer,
AUGUSTISSIME PRINCEPS ELECTOR, DOMINE CLE-
MENTISSIME, ne indignum tot Tuis in orbe pacati arma-
 tique status insignibus donarium putares, quod fuit præ-
 conium tantum Tibi sacræ intimatæque virtutis. Sed quia
 non spectando astra evehimur in cœlum, & quo sunt
 propius astra virtutes Tuæ, eo facilius eludunt intuen-
 tium oculos, nescio sanè, quas excusandæ audaciæ
 meæ allegare causas debeam; quod **HEROEM TE** orbis
 iudicio Magnum, tot clarum triumphis, tot victoriæ
 insignem signis, umbratili contrectare scripto non re-
 formidem; nisi auspiciatissimæ illi Tuæ, quâ summos
 atque imos complecteris, Humanitati & Indulgentiæ
 propriam ideo scripti indignitatem objicere me voluif-
 se perspicias, quò in seipso specimen caperet ignoscen-
 di potestatis quam delineasset, non illustrius proditu-
 rum orbi exemplum quàm in Gentilitiâ & sacra Stirpi
 Brandenburgicæ clementia, tanquam apud hanc teme-
 ritate uti piaculum non foret, ubi ignoscere est pro in-
 signi. Habes nempe, **AUGUSTE HEROS,** fulgentes inter
 Majorum stellas non Achilles modo fortes & inclytos
 Justitiâ Aristides; Sunt & quos Clementes, Pruden-
 tesque æterna Posteritati Virtus commendat. Quorum

Tu egressus fastigium avitum decus & pictas æternitate
 imagines novis Borussia Titulis, pari Majestati gratia
 condecorasti. Quo est facilius, si singulorum tuo in no-
 mine nomen famaque revirescat, quorum omnium
 virtutis & gloriae factam in Te collectionem esse stupe-
 mus. Enimverò Majestatem & Magnificentiam cum
 Humanitate, cum Lenitate Justitiam, Virtutes & Ti-
 tulos abs se dividos adeo suavi concentu socias mi-
 fcesque, ut Magnitudini Tuæ pariter ac florenti tot ter-
 rarum ditionumque incolumitati egregiè conducant.
 Quod timeris ac coleris à Majestate Tua est, ab Huma-
 nitate quod amaris, ab utraque reverentia sine odio
 & sine reverentiæ dispendio amor. In tanta virtutum
 quasi inter se certantium conspiratione, immortalitatis
 apex & una Bonitati Tuæ collimandi meta prostat hu-
 mani generis amor & auxilium. Est testis Munificentia
 Tua; est amplissimus Beneficiorum cumulus, quem in
 meis inchoatum avis & parentibus, longaue pertex-
 tum serie, in me tandem complevisti. Noviter verò
 & Professorii muneris ornatum adjecisti; credo: ne
 plura ac majora sperandi mihi titulus deforet; Quæ
 Tua admirabilis est benignitas, ut benefacta absque ul-
 terius benefaciendi solatio non finas; quo nihil ne
 Deus quidem in hominem conferre potest eximius. At
 mihi, etsi tenuitatis sat est, retribuendi facultatem
 affectu

affectu terminari, etiam venia humiliter deprecanda
 est, quod gloriæ ac laudum Tuarum abyssum, quam
 nulla unquam complectetur humana æstimatio, exili
 adeo & crudâ mentione intraverim. Solent qui vene-
 ratum Numen accedunt, id agere, ut thurium exilita-
 tem religionis atque cultus sinceritate compensent.
 Idem meæ futurum pietatis duxi, ut vilissimo scripto,
 quod in obsequii & gratæ devotæque mentis monu-
 mentum Tuæ consecratum Majestati ante pedes hu-
 millimè depono, impensissimi affectus & euntis in Tui
 venerationem animi religionem præfigerem; Satius fo-
 re ratus, cùm alterubi impacturus sis, Magni Bene-
 factoris gloriam & perenne decus infantia meâ adora-
 re potius, quam irreligioso silentio obruere. O abfuis-
 sent modo invida fata, nec foedasset tot hostili in a-
 gro erecta virtutis ac victoriæ trophæa unum ovantis
 ad coelos Principis Hæredis acerbius vulnus! Jam Pæa-
 ni planctus miscentur & funeribus triumphi; & trium-
 phales arcus, quas pulcherrimo nitore mentes manus-
 que tibi reddunt votivas, nunc pullatâ facie ad com-
 munem ipsis & Germaniæ luctum religiosissimè com-
 pellunt. Sed dabit his quoque malis finem clementior
 aura. Ita Deus O. M. revulso ferali spiculo, quod
 Tuum, Domine, per pectus, tot gentium ditionum-
 que

os(o)so

que viscera pervasit, sceptrum & victricia Serenitatis
Tuæ arma secundet, Teque ELECTOREM cum Se-
renis: ELECTRICE, PARENTEM cum Augusta
PROLE TUA, semper Optimum, semper Beatum,
semper Magnum, Patriæ in Patrem, Ecclesiæ in Sa-
lutem, quàm diutissimè seculis reservet, donec tan-
dem cœlesti imminentem sedi videat ac lugeat sera
Nepotum ætas, postquam FRIDERICUM WIL-
HELMUM Delicias & Miraculum seculi præsentis, Ad-
mirationem & Exemplum futurorum exsolverit.

AUGUSTISSIMÆ ELECTORALIS
SERENITATIS TUÆ

Humillimè Devotissimus
& Obsequentissimus
Servus

WILHELMUS CRUSIUS,
Berolinens.



I. N. D. N. J. C.
TRACTATUS JURIDICUS
De
POTESTATE IGNOSCENDI.

PROOEMIUM.



Interpellatum miraculis naturæ cursum, si & cum pertendit, suspicimus, & cum desleat admiramur; quæ, dicam, adeo sublimis in orbe æstimatio est, quam parem sibi Imperiale fastigium geminâ indole non faciat? Ita sanè quum ceteras Majestatis suæ partes intra ordinem & statas optatæ Utilitatis Regulas contineat, hoc uno miraculum facit, dum peccatorem facit innocentem. Fam grande decus & immortale est, cum viribus universos æques, potestate emnere inter omnes, nec jure vacuum nec robore infractum, sive jussa ponas aut vitam tollas, bellum imperes, aut redintegres quietem. Sed gloriæ tamen summa & quidam quasi apex est, jus dicere contra jura posse & quantum quis valore leges antecellit tantum rigore iis se ostendere inferiorem, tribuendo in gratia, quod illa exigunt in pœnâ. Quid Fulmen Phœbo exilius ardet, nisi quod meritos terrere, minus est, quàm collustrare immerentes? Agnoverunt hoc omnium retro seculorum Augustissimi Monarchæ, hoc suum esse decus, hanc gloriam rati, si propriam parcendo revererentur Majestatem. Seneca Neronem hoc vult cogitare: occidere contra legem nemo potest, servare nemo præter me. Fam colligatæ Romanæ fasces, in quo potius splendorem ostentare summi imperii quàm in ignoscendi Potestate voluerunt, ut sicut jus gratiæ in jure pœnæ, ita fascium in fascibus ligatura nosceretur? Adhuc illa in sacri Principis Clementia salutis & fortune anchora suspenditur, modo non miserorum manibus ancipiti eam consilio supersticiosè seduli excutiant. Certè ea res facturum me operæ pretium admonuit, quando omnino fati ita volentibus, jurium me quoque titulos mereri oportuit, si hanc potissimum Principalis Clementiæ prolem presenti educendam tractatione susciperem. En igitur jacta est alea, ut sit feliciter, Christe annuis Clementissime, precor!

A

COGNI-

COGNITIO NOMINALIS.

§. I. **R**Efulget in Vocibus naturæ rerum socialitas; ita alterius semper auxilio altera innotescit, & quam singulæ ex se lucem non habent, Universalium combinatio haud difficulter profundit. Nihil ideo periculi est, ne quis impræsens *Potestatis* voce aut cum Pneumaticis *Angelorum ordinem*, aut Arithmeticis *numerorum valorem* intelligendum sibi putet, neve Ubiquetarum vicinus miscellæ, Christi Mediatoris Charismata confundentium cum Idiomatis *potestatem* pro *potentiâ* supponat. Est Vocum Interpres substrata materia l. 15. §. 4. vers. *sed & si. ff. Locat.* ea nos ad Forum ducit Civile, mercedem inde habituros, quæ incunabula sua sapiat, nec aliis eam sub involucris, ac quibus exponi, ipsamet exigere videatur.

§. II. At vox *Potestatis*, ut *Formam & animam designat superioritatis*, secundum diversitatem objectorum, ad quæ refertur, ceu sunt Leges, Pœnæ, Pax, Bellum, oppido specialem sibi naturam aliam semper atque aliam acquirit. Inter ea quat. ad pœnas porrigitur, punitoria cluet, sed quæ ideo, quod est potestas, erumpendi in actum necessitate vacat. Hinc duplex ejus emergit qualitas, *Positiva & Negativa*, quarum illa vindicandi, hæc ignoscendi speciali nomine *Potestatem* desudat.

§. III. Potestas ignoscendi alia pertinet ad *Forum Poli*, alia ad *Forum Soli*. Illa Dei est Regum Regis, subinde à Christo magnificè usurpata, cum Dæmonum atque morborum potenti dextrâ flagrasque inhiaberet. Apud Theologos receptè audit Remissio pœnæ ac peccatorum, quæ formale ingreditur nostræ coram Deo Justificationis. Ita namque imputationem satisfactionis Christi, in qua Justificationis ratio ac Cardo Formalis vertit, considerare est cum *Positivè tum Negativè*. Ibi evadit *Justitiæ Imputatio & Vitæ*. Hic *Non-Imputatio Injustitiæ & Pœnæ*, quæ utique nihil est aliud quam *Pœnæ ac Peccatorum Remissio*. Oppido liquet, in hoc foro *Potestatem Ignoscendi non extendi ultra Statum Gratix ac Novi Fœderis regnum*. Etenim Deum inter & Peccata, ob illius Naturæ sanctitatem, tanta tamque exquisita intercedit repugnantia, ut is peccatorum fœditates in quocunque tandem puniat, impunitas certè dimittere non possit. Unde in Statu Naturæ & absque lytri interventu remissio
nulla

nulla datur, estque re probè inspectâ Potestas ignoscendi in Deo, non tam *ratione objecti*, ut ipsa in se malefacta ab ultione libera relinquantur, quam duntaxat *ratione subjecti*, à quo uno Pœna & Reatus devolvuntur ad alterum, Christum sc. sponsores, in quo rigidè satis expientur.

§. IV. In Ordine *ad Forum Soli* Potestas ignoscendi nunc accipitur *Late & Populariter*, nunc *strictè & accuratè*. Latè prout includit Remissionem l. mitigationem pœnæ aliàs statutæ ac ordinariæ ob circumstantias ipsi facto inhærentes ac atrocitatem ejus minuentes, estque tali ambitu eorum omnium, quibus jus meri imperii concessum est. Quo olim nomine elatus Pontius Pilatus Christo Domino; *Nescis*, inquit, *me potestatem habere & Crucifigendi Te & dimittendi?* Ubi non obstat, quod quidam movent, Procuratores Cæsaris, qualem Pilatum fuisse constat, gladii potestatem non habuisse. *Tac. libr. 3. Annal.* Nam id eat. valet, si non Vice Præsidis præfuissent l. 4. *Cod. ad L. Fab. de Plagiar. l. 2. C. de Pœn.* qua Pilatum functum esse & verius & planius videtur, quàm ut cum Merillo *ad Cap. 19. Job. v. 10.* & *Wissenb. not. Nomic. Polit. ad Passion. Christ.* specialem hinc ob perpetuos Judæorum Tumultus concessionem comminiscamur. Vid. *Godofred. ad l. 23. ff. de Appell.*

§. V. Strictè intellecta Potestas ignoscendi evadit proprium Principis Regale, quo is pœnam delicto meritam, quòd modò aliqua de causa ita ipsi videtur delinquenti condonat. Sed taliter adhuc considerare eam licet vel *Absolutè*, ut cuilibet Imperanti Communis est suamque in Politicis sedem meretur; Vel *Restrictè* ad Imperium Romanum, qualiter impræsens nostram subit Tractationem.

§. VI. Substituit *Synonyma*, ipsa cognitu supervacua *Nominis Notatio*. Illorum duo potissimùm apud *ICTos* occurrunt. Alterum est *Jus Aggratiandi*, quo tritissimè appellatur, verùm ut non latinè sic nec intensè satis. Nam ij actus superioritatis principalis, quibus illa directè Inferiores spectat, eorumque vitam, bona, voluntatem moderatur nervosè ac significanter *Potestatis* potiùs quàm *Juris* voce exprimi desiderant, ad denotandum sc. cum imperandi jure, Virium Præcellentiam in quâ singulariter hi actus sese fundant, secus ac alii, qui etiam apud Principem ex Facultate solùm Morali exurgunt, nec ita virium præstantiam complectuntur, ut sunt jus pangendi fœde-

ris, condendæ Civitatis, jus Postarum &c. eoque juris potius vocabulo exprimendi, quo nomina rebus evadant conformia. §. 3. *Inst. de Donat.* Nec ita casu factum putemus, quando in §. 1. *Inst. de his qui sui vel alien. jur.* Domini in servum vitæ necisque Potestas esse dicitur, ut qui hunc loquendi modum ad Principem applicarunt, suum pro eo *vita necisque jus* supponere debuerint. Sed hæc ex suo genio Magister loquendi usus constituit, perquem non licet, quæ ipse confundit, ut nos distinxisse videamur.

§. VII. Alterum Ipsæ Leges Synonymum suppeditant, quo Potestas ignoscendi frequenter audit *Remissio Criminis s. Delictorum*, nisi quod hæc actum magis secundum, ipsumque adeo ignoscendi exercitium dicit. Sed insuper vox Remissionis absolutè posita non parùm cum æquivocatione luctatur. Præcipua est, quâ vel *Physicè* accipitur, vel *Moraliter*. *Physicè* pro *missione Persona vel Rei in locum unde venit*, quo sensu in jure celebris est *Remissio Facinorosorum* ad forum delicti, *daß man sie solgen lasset.* Nov. 134. c. Si vero 5. Qui tamen hodie mos ferè exolevit, nisi quod in delictis atrocioribus precario & jure amicitia aliqua adhuc *Remissio* locum invenit. *Schultz. Synops. Institut. §. 30. de Suspect. Tutor.* *Moraliter* notat Remissionem à Necessitate Morali, eaque vel *Edicti*: ut *Remissio nunciationis Novi operis Rub. ff. de Remissionib. vel debiti* tum ex jure *Reali*, ut *Remissio Pignoris Rubr. Cod. de Remis. Pign. tum Personali*, ut *Remissio mercedis aut pensionis propter sterilitatem & simil. l. 5. §. 4. & 7. ff. Locat.* vel denique *Delicti*, quomodo adhuc est vel *Publica* vel *Privata*. *Privata* fit ratione injuriæ, quam *Delinquens* *Concivi* intulit, *Die verzeihung* / ita usurpatur de culpa *Adulterii*, cujus per receptionem in *Thorum* *Conjux* *Conjugi* gratiam fecisset. Vid. Nov. 134. c. 10. *Remissio Publica*, *die begnadigung* ratione tum injuriæ tum pœnæ contingit. *Rubr. x. de Pœnit. & Remissionib.* quæ est hujus loci & synonymico Potestatem Ignoscendi valore illustrat.

COGNITIONIS REALIS
TRACTATIO I, ABSOLUTA.

PARS PRIOR

De Potestate Ignoscendi secundum Constitutionem.

PUNCTUM

P U N C T U M I.

De Discrimine inter Potestatem Ignoscendi, quæ est Principis & Jus Remittendi quo gaudent Magistratus.

§. I. **H**Æc Tractatio concernit Esse Potestatis Ignoscendi objectivum, quâ meritò intellectus aliquam prius distinctam ejus naturam sibi concipit ac præformat, quàm dari talem, reque ipsa in Principe reperiri, pariter ac quæ qualisque detur limatiori cura postmodum evolvat.

§. II. Ut autem nemo est eorum, qui delictorum veniam scriptis elucidarunt, quin inter *Potestatem aggratiandi Principis & Jus remittendi Magistratus* distinguendum sibi esse putarint; ita re altius pensitata, quidnam inter illa discriminis intercedat, illico confectum non videtur. Qui in eo collocant, quod illa utique Regale sit ex jure ortum superioritatis, hoc meri Imperii particula, quam qui tenet, Majestatis Concessioni acceptam referat, parum omnino afferunt, quod rei explicandæ conducatur. Idem hoc nunc quæritur, qui Princeps delicta remittendo habeat Regale, Magistratus, cum facere idem videatur, non habeat? Nec propius ad rem facit, quod dicat quis, Principis etiam in delictis gravioribus indulgentiam valere, Judicium contra ad leviora duntaxat Facultatem porrigi. Nam & in iis quæ aliàs atrocissima habentur, gratiosa quandoque judicis remissio obtinet; velut in Casu homicidii quo maritus uxorem in adulterio deprehensam confecit. *l. 38. §. 8. D. ad l. Ful. de Adult.* huicque geminis infinitis. Et hodie omnes pœnas juxta facti & personarum qualitates in arbitrio judicantis esse, ut eas mutare possit in extraordinarias, possit intendere aut remittere prout fas bonumque animo videatur, lex arguit *13. D. de pœn. l. II. l. 38. §. 9. l. 16. §. ult. D. eod. & communis Ddorum consensus, quem allegant Gail. de Pac. Publ. 2. c. 9. n. 22. Carpz. Pract. Crimin. part. 3. quest. 142. n. 36.* E contrario alia leviora obtingunt, in quibus Judici pœnam pro arbitrio temperare non licet; quia nullatenus lege eum convenit esse clementiorem. *Nov. vel. 82. c. oportet 10.* Denique omnium minimè huc confert, quod aliis annotatur, Magistratum duntaxat ad pœnas mitigandas potestatem extendi, non etiam ut eas penitus condonando legi punienti præjudicium figere possint, quod suæ Princeps indulgentiæ reservavit

rit ad significandum dignitatis splendorem. Quippe re inspectâ mitigatio atque remissio delicti ejusdem sunt indolis, nec aliter ab invicem distant, quàm gradu, ut mitigatio verè fit partialis remissio, ipsa remissio evadat totalis mitigatio. Ideò non potest qui leniendi ac minuendi jus habet potestatem non habere remittendi & vice versa *l. servos 8. in fin. C. de Vi publ.* Et quid obftet si pœnam judici minuire liceat, quominus eo usque minuendo progrediatur, ut inde remissio evadat, partem subtrahendo post alteram ut remaneat nihil? Neque enim hic limites jura posuerunt, nec ponere in eodem Tramitis decursu poterant. Unde conclamati juris esse cœpit, Judicem etiam si superiorem in causis delicti, nisi aliud accedat leviolem pœnam ac quæ est legis decernere non posse, quod hic non benignitate sed severitate sit utendum, *dict. l. 8. C. de Vi publ. l. 32. ff. de pœn. fatente ipso Carp. loc. cit. qu. 142. n. 21. & qu. 150. n. 56. & seqq.* Quodve aliquando pro re nata possit, hoc indicio est essentialis inter mitigandi rationem diversitatis, quæ alia par sit judicanti, alia Majestatis redoleat fastigium.

§. III. Si rem subductâ ratione geramus, quatuor potissimum momenta occurrunt, quorum diversa indole juris aggratiandi à Magistratum remissione differentia haud leviter innotescat. Ea innuoluntate quæ extrinsecus Judicem ad mitigandum pœnæ rigorem movere possint, quantæcunque videantur, omnes tamen ita comparatas esse convenit, ut delicto ipsi insint, ejusque intrinsecè naturam afficiant. Quæ de causâ facti vitiositatem ipso jure imminuunt & atrocitatem tollunt. *vid. l. 11. D. de pen. l. 3. C. ex quibus causis infam.* Hujusmodi etsi sunt infinitæ, pleræque tamen dependent vel (1) ab *ipsis moralium actionum principiis*, intellectu & voluntate; ut *judicii Defectus* aut *Immaturitas*; *Delirium*; *Ebrietas*; *Ignorantia*; *absentia doli*, malæque *intentionis* &c. vel (2) *ex causis impellentibus*; ut *justus dolor*; *metus*; *extrema egestas*; &c. vel (3) *Personæ Qualitate*; ut *Senectus*; *Morbus* &c. vel (4) *Facti circumstantiis*, quæ *varia sunt & infinitæ*; vel (5) *Eventu*: ut si delictum non sit consummatum; si agendi conatum bona sive fortuna sive indoles restin-
xerit. Quæ passim AA. evolvunt, cumque iis *Carpz. Prax. Criminal. part. 3. quest. 142. & seqq. Gail. l. 2. observ. 110.* Aliter comparatum cum

cum causarum momentis, quæ à Principe veniæ indulgentiam elicere solent. Hæ proximè in externis Personæ delinquentis adjunctis, ultimò in ipsa Reip. utilitate resident, ac fundantur, quæ propterea criminis naturam ex se non alterant, sæpe ne contingunt quidem, sed quicquid huc valoris afferunt, hoc omne in Principis gratiam resolvitur.

§. IV. Proxima in *Principis* diversitas collocatur; Principalis indulgentia ex arbitrio, Magistratus ex officio dependet. *l. II. ff. de pæn.* Est quidem Majestas & ipsa in agendo Justitiæ Poli adstricta. *l. fin. C. si contra jus vel util. public. l. digna vox. 5. C. de LL.* Sed ut nunquam ordinatam voluntatem divina æquitas perimit, ita multo minus id in Principe verendum. Dicitur verò actus quis principalis esse arbitrii, vel *latè & ratione independentiæ*, quat. vi superioritatis independentem à quovis homine fieri intelligitur; Quo sensu quodcumque Princeps secundum Majestatem agit, id arbitrio agit, vel *strictè & ratione singularitatis*, cum illi speciatim actus arbitrii esse dicuntur, qui circa causas vel personas certas contra vel præter Ius commune aliquid ex singulari causa disponunt. Utroque modo Principalis indulgentia arbitrii evadit seque à Magistratum juribus discernit. Hæc sanè, ubicunque se exerunt, independentem minimè agunt, nedum præter causam à legibus saltem implicite significatam, Atque adeo, si quid Magistratus pœnas imminuunt, id faciunt ex officio, parum aliàs secundum æquitatem jura ad personas factumque applicaturi; v. g. in casu, quo quis per infantiam aut ebrietatem quid commisisset. At Principis remissio ancipitis est eventus, quam is absque injuria deneget, decernatque, prout modo secundum Remp. favor se judicii determinaverit.

§. V. Unde tertio in *Formâ* ipsâ discrimen residet. Namque hæc propriè solum in indulgentiâ Principali pœnæ debitæ condonatio cluet; in Magistratus remissione non est, quam applicatio juris in partem mitiorem, quæ haud adeo delinquenti immerita contingit; in quo illa principalis suum maximè splendorem ostentat. Proinde quartò, quod Principis Remissioni opponitur æque innoxium merita est punitio. Contra Remissio Magistratus pro opposito habet quid excessivum, quod est prædura & ab humanitatis regula aliena legum interpretatio. *l. II. ff. de pæn.* & ferè nihil aliud, ac quod iniquita-
tis

tis communiter nomine effertur. vid. l. 8. C. de Judici. & Godofr. ad eand.

P U N C T U M I I.

De Existentia.

§. I. **E**T si non fit immeritò illum, quem in summo imperio summum humanæ res ostentant, ut sicut Majestate omnes antecellit, ita Facultate omnia vincat, non deesse tamen putemus, quæ quia aut humanæ potentia Sphæram excedunt, aut citra pietatis ac bonæ existimationis labem fieri non possunt, nec se posse facere sanctus Princeps credi à nobis desiderat. l. 15. D. de condit. Inst. Bald. in l. 1. de Const. Princip. Gail. 1. Observ. 14. n. 6. Sed tamen, ut quis delictis veniam præstet, in numero eorum non haberi, quæ humanis rebus exempta Creator voluit, prima etiam fronte liquet, si est, quod nemo ambigit, posse te, quem colluctando cum renitenti maliâ, sudorem fundis, delicato per otium balneo eluere. At num per naturæ legem, aut Gubernatricis prudentiæ regulas æque Princeps non impediatur, quo minus temperata delictorum impunitate clementiæ ac lenitatis in Rep. gloriam affectet, non eadem ratione patulum videtur. Ea res necessitatem nobis imponit, ignoscendi potestatem in existentiâ sua expendendi, eam spectando, primò *Absolutam*: An fortè cum statu Principis ut is nudè ex naturâ sua æstimatur, pœnarum Remissio consistere non possit; & si eatenus posse nihil impediât, deinde *Hypotheticam*: an æque possit cum statu, ut is impræsens constitutus advertitur, suppositâ sc. pœnali lege, cujus Princeps Observantiam protegere teneri intelligitur?

§. II. Existentiâ Absolutam concernit scrupulus, quem hîc pœnale negotium injicit. Scilicet, cum sua gratiæ amabilitas ex vindicta emergat, nec absolvere posse credatur nisi qui potestatem habet damnandi l. 3. D. de Re Judicat. Quid fiet de Remissione, si dubitet quis; an etiam fieri potuerit, ut summo imperio Civili, in corpus vitæque subditorum, animadvertendi ob delicta potestas conferretur. Nam ubi reputemus Majestatem è pacto provenisse, dum quisque civium, quod in se suamque voluntatem potestatis obtinebat, illud in Principem pleno jure devolveret. l. 1. D. de Constit. Princip. sed tamen plura eum devolvere, quàm ipse habebat non potuisse

potuisse *l. 54. D. de R. J.* non modica difficultas surgit, ut possis explicare, qui inter obtenta à Principe Jura vitæ necisque potestas contineatur. Pœna sanè naturam gerit mali, estque talis quæ invito infligitur, quod autem quis sibi ipsi infert, quomodo invito acciderit, non apparet. *l. 203. D. de R. J.* Quin insuper vitam suam nemo gerit in manibus, ut eâ se injussu Creatoris sui abdicare liceat. Nec in Causa delicti, cujus atrocitatem voluntaria spiritus jactura quis expiassè censeretur, excusandi modus prostat, quin potius sceleris infamiam, supplicii malè exacti culpa ingeminet. Sed exitum hæ tendiculæ permittunt, si quis recogitet, sapius in rerum natura ex plurium commistione aliquam in toto qualitatem, aut affectionem resultare, cujus secundum formam singulæ partes ex se capaces non erant, dummodo virtute pollerent, eam intra se conspiratione omnium excitandi; ferè ut minutissimæ ac cogitatione indivisibiles corporis particulæ, etsi formaliter extensionem non habent, ad hoc tamen ut unitæ eam in toto procurent, sufficit, quod effectivè ac virtualiter quantæ censeantur. Haud aliter corpus morale, quale est Civitas, per membrorum omnium conspirationem in capite suo haud difficulter potestatem infligendi pœnas producet, etiamsi singula eadem destituantur. Neque enim quod homo sibi ipsi mortem aliudque gravius malum inferre non potest, id provenit ex obligatione, qua Naturalis Legissator propriæ eum vitæ teneri voluisset, sed potius ex vinculo, quo societati humanæ adstrictus esse intelligitur, ut se illi sui que usum subtrahere non possit, ni miles desertor videri velit, qui Imperatoris sui missionem perfido ad inertiam discessu occupavit. Ideo si meritis maximè fuisset, qui ab exercitu ignominiosè moveretur, hoc tamen nullam ei facultatem tribuit semet subducendi ipsum, quia sane delictum ad liberandum à fide juramenti nihil facit. Unde patet, dummodo civis hoc in se juris societati tribuat, ut quantum ipsius refert, si quid fortè illa in eum gravius consuluisset, de injuria queri nequeat, reliqua, ut quod intentatur formaliter pœna fit, ac invito eveniat, tum ne societas humana lædatur, è Civitatis propriâ qualitate superaddi. Quum enim hujus adeo nihil interfit, Facinorosum in vita conservari, ut ipsa inde eum tollere decreverit, nihil jam obstaculi est, quominus illius jussu fati diem violenta manus licitè acceleret. Declarat hoc mos quorundam populo-

B

rum

rum, uti Japonensium Teste Voet. D. Sel. P. 4. p. m. 258. apud quos fontes jussu Magistratus ipsi erga se Carnificis ministerio funguntur, quod ita remissâ vivendi obligatione licitè suscipiunt, cum alias ab *αυτοχειρίας* crimine disjuncti minimè essent.

§. III. Non minoris momenti est, quod quis obvertat, cum Deus Opt. Max. jure quantumvis usus absolute absolutissimo ignoscendi tamen potestatem per naturam excludat, quid statuendum aliud de Humana Majestate videri, quam æmulari Divinam non excedere oporteat. Ita omnino habet, nec licet dubitare, quin propria Deum perfectio ad pœnas strictè undequaque decernendum adstrinxerit, nulla majori necessitate, ac quæ est immunitas indifferentiæ ad agendum turpiter & indecore. Hoc perfectionis momentum communiter Theologi ex Dei sanctitate educunt, (quâ ipsi sc. sanctum vocant, quod est inculpatum & à peccandi lubricine alienum; non legum sensu, quod ab hominum injuria singulari sanctione munitum est. l. 9. §. 3. D. de Rerum Divis.) Sed re penitus inspecta, etsi per Sanctitatem Deus habet, ut nec ipse peccatis delectetur, & aliorum non possit non extremè odisse, quod tamen ea impunita dimittere nequeat, proximè ex ipsius justitiâ fluit, per quam ad hominum peccata formaliter tanquam vindex refertur, ut propter indolem illius exactissimam de jure suo remittere non possit. Contra sanctitas generaliter duntaxat peccatorum abolitionem infert, quam etiam Physicè fieri nihil impedit, per peccatricis naturæ destructionem, aut prohibitionem à Vultu Divino, non etiam specialiter, ut id cumprimis fiat modo morali per actum vindictæ & mala malis expiando, quod ex singulari Justitiæ ultricis natura supervenit. Etsi verò facile constat Majestatem Civilem natura sua ad pœnæ exactiorem in Dei modum determinatam non esse, videbatur tamen ea piâ imitatione huc se ipsam adducere teneri, (ut solent perfectiones, quæ Deo insunt ex naturâ hominibus adesse ex habitu & Officio) & ideo necessitate saltem morali ad vindictam strictè ubivis exigendam obstringi. Verùm his declinandis solutionem suggerit Regiminis naturæ à Civili diversitas. Quando enim eadem semper sibi constans Humanæ socialitatis ratio apprimè refert Autoris sui immutabilitatem, nec emergere casus potest, quo honestum censeatur, quod aliàs turpè audit. §. II. Inst. de Jur. Nat. Gent. & Civil. eo Divina voluntas

voluntas, quæ liciti & illiciti norma est, se sibi velle potuit undequa- que conformem & commissi contra se criminis absque *ἀνομαλία* ul- tricem. Diversa Civilis imperii ratio est, quod pro ultimato fine Ci- vitatis incolumitatem habet, ad quam actiones suas exigat & con- formet. Hæc ancipiti flexu sæpe à communi via exorbitat, ut nun- quam non fluxæ humanitatis res Civitatis faciem deformant; Ubi tunc Gubernatrici Prudentiæ ipsas sæpe contra utilitatis regulas inve- nienda utilitas est. Nec verò id in pœnarum negotiis parcius usu ve- nire putemus, ut sæpe Principi ex delictorum impunitate elicienda utilitas sit, quam æque ex vindictâ non proventuram prævidet. Enimverò si immutabilis Divina Naturæ sanctiones alias dare quàm immutabiles non potuit, utique è diverso Civitatis utili- tas varia & versatilis variam quoque & ancipitem sui æstimationem ingenerat, non contenta habuisse, qui se intra oleas venetur, ni quandoque rebus sic ferentibus à regulari tramite declinet. Neque tamen, si qua Reip. Necessitas Civili Domino ferrum stringere non permittat, hoc justitiæ Divinæ præjudicium figit, quo minùs ipsa ob naturæ legem violatam fontem rigidè satis excipiat. Quem in modum ipse Deus in Rep. Israëlitarum functus Principis officio, non pauca Civili vindictæ exempta voluit quæ non putem in Poli foro pronam adeo absolutionem meruisse. Planè his expensis Ignoscendi Potestas in portu navigat, nec apparet; qui Socini Machina eo quem adigere debuerit, ut dum æternam Dei Justitiam prodere non susti- net, Humanæ è Rep. Temperamentum expellat. Et qui hâc moti difficultate, eum saltem cui ratio officii ultionis negotium injungit de jure suo nihil remittere posse autumant, si hoc ad Principem cen- sent applicandum, justitiæ vindicativæ in tantum fimbrias dilatant, ut Gubernatrici Prudentiæ spiritum extundant. Quasi verò Princi- pis officium in hoc irrationali ductu geri oporteat, quò ipsi non li- ceat esse misericordi, in quo Deum hominesque bonitatis gloriam affectare videmus. Et sanè ad aliquod ejusmodi delictum necessariò ulciscendum, undè Reip. salus periculum horreat, ut sibi ex remis- sione commodum polliceatur, adeò non Principem Civitas obliga- vit, ut potius injunxerit contrarium. Idcirca officii ratio in Princi- pe aliud nihil exigit, quàm ut non temerè ac leviter ad indulgentiam inclinet, nec vindictam negligat ubi Reip. salus eam jubet intentare,

quod nos manu recipimus utraque.

§. IV. Unum adhuc contra ignoscendi potestatem præjudicium restat, non majoris momenti ac quod Autoribus debeatur Stoicis. Hi per sapientiam felices sc. & dices & Reges miserorum anchoram volebant subversam, negantes, esse sapientis ignoscere, ut videre est in fragmento ap. Stobæum Tit. de Magistratu, & in Oratione Tullii pro Muræna, Teste Grotio de Jur. B. & P. l. 2. c. 20. §. 21. Pufendorf. de F. N. & G. l. 8. c. 3. §. 15. Rationes, queis nituntur, vocum deceptiunculæ magno conatu magnas obtendunt nugas. Summa huc redit: Quam quis fonti pœnam remittere satagit aut delicto meritam censet aut immeritam. Si immeritam: hoc est vel à parte hominis, cujus adeo factum in legem non impingit; At eatenus delictum non est, vel à parte legis, quæ pœnas nimis duras delictis præstituerit: Sed hoc est Legislatorem iniquitatis accusare, seque lege putare sapientiore. Sin meritam: Ergo non mitiganda. Nam quod quis est meritis, id ipsi omnino est tribuendum. Quo tendit illud Seneca, quod habet lib. de Clement. in fin. Venia est Remissio pœne debita, sapiens autem, quod facere debet, facit. Hoc Argumentum duobus instructum pedibus claudicat utroque. Sive enim immeritam dicamus, actutum lex iniquitatis non arguitur, ejus rigore circa hunc illumque casum nonnihil mitigato. Lex enim in genere tantum definit, quæ cuique delicto pœna debeat, non penitatis facti, Personæ, temporisque circumstantiis. At pœnæ ad Personam applicatio Judicis est, quâ is pro ratione circumstantiarum aut strictè eam inferat, aut cui quandoque singulariter remittat. l. 11. ff. de pœn. l. 1. §. 1. verb. discernentes, separantes. de F. & F. Taceo insulsam inter Principem ignoscensentem, de quo nunc sermo est, & legem Civitatis oppositionem. Sive verò pœnam meritam ponamus; æque incommodi nihil urget. Solùm fraus latet in voce meriti. Nam si intelligas, ei qui peccavit, pœnam non immeritò contingere, i. e. ipsum citra injuriam puniri posse, jam non sequetur; si quis non puniat, eum non tribuere quod tribuendum erat. Si verò ita accipias: in puniente esse obligationem pœnam delinquenti, velut merito attribuendi, sique non tribuat, facere injuriam, dicemus, pœnam hoc sensu meritam non esse; sed licitam tantum, saltem reum jure suo haud ægrè cessurum, si modò non Magistratus id invito obtrudat. Alia longè ratio est meriti

meriti ad malum quàm ad bonum. Hoc ipsi rectè subtrahi nequit; sed mali ea est natura, ut jus ad habendum non inducat; nec etiam eo non tributo de injuria facilè quis queratur, nisi forte quat. ad emendationem tendere potuit, ne puerilis nequitia in virilia scelera prorumperet. Eodem modo vocem *debiti* intelligere est vel *activè* de Magistratus jure, ad pœnam sc. rectè & absque injuria inferendam, vel *passivè* de ejus obligatione ad eam necessariò inferendam, idque vel in ordine ad Jus Reip. vel ipsius delinquentis. Sensu activo pœnam dicere debitam nihil prohibet; sed non infertur sapientem, si non puniat, non facere quæ debebat, cum multa faciendi mihi jus sit, ad quæ ideo facienda non teneor. *l. pen. C. de Pact.* Secus ut passivè obligatio infertur, quali Magistratum Reip. teneri ad pœnam necessariò ubique inferendam, Stoica Garrulitas petit principium, quòd multi emergere casus possunt, qui ob bonum publicum potius ad veniam indulgendam compellant. Nec magis in ordine ad delinquentem obligatio intercedit, quod modo tetigimus, ut frustra sit futurus, qui in delinquente jus aliquod sibi concipiat, quod per pœnam veniat explendum, æque ac qui obligationem comminiscatur, qua is ad pœnam teneretur præstandam; etsi sanè nonnullos in hanc opinionem contractus *anxoris* Phantasma deduxit, ut cum ex delicto obligationem nasci percepissent. *Tit. Inst. de oblig. quæ ex delicto. &c.* eam pariter ad pœnam esse autumarent, quod pœnalis negotii finem & omnia subvertit. Nec suadetur, quod nonnunquam fontes ultro se judici sistunt & supplicium expostulant. Hoc enim non ex obligatione provenit, sed metu contingit ultionis divinæ, indeque orto Conscientiæ angore, quæ se homines lenire posse credunt, si meritam delictis suis pœnam his in terris sustineant.

§. V. His repulsis, quæ potestatem ignoscendi absolutè sublatum iverant, consideratu opus est, an tamen illa supposito legali statu, quem olim jam Romana Resp. sibi adaptavit. *l. 2. §. 4. de O. F.* æque non incongrua videatur? Scilicet non necessariò ad Civitatis Constitutionem exigitur, ut scriptâ pœnali lege fibula lubrici injecta, aut certum delinquenti pœnæ genus præstitutum fuerit: sæpius arbitrium Principis pro legibus fuit; Jam etiam suas Natura sanctiones opposuit, quibus de actus turpitudine homines edoceantur, ut modò si contrà factum fuerit, pœna ex imperantis judicio sit educenda. Ita

Romana quoque Resp. ortus sui primordia sine certo jure sub regia manu explevit. *l. 2. §. 1. de Orig. Jur.* Quin & ubi leges Civiles sunt conscriptæ, omnes tamen modi per quos se humana malitia exerit, vix diserte ita possunt exprimi, quin ubique legum Civilium defectum Lex & ratio Naturalis supplere intelligatur. Ideo hac in parte, quâ penè in Rectricis prudentiæ arbitrium recidit, pro delictorum qualitate mala Transgressoribus admetiri, amplius dubium non videtur, quin Principali gratiæ plurimum liceat, sed non ideo planum, quid in iis obtineat, quæ expressa sanctione definita habentur; Qualis hodiè maxima eorum pars est, quæ secundum Leges Romanas infliguntur. Videtur enim Princeps de his juri suo renunciassè, cum potestatem suam factæ à se Legis definitioni adstringeret, ac declaratione universali, una quasi vice arbitrium exhauriret, ut communiter solent, quæ antè libertatis erant, facta determinatione saltem honestatis evadere. Dein legum autoritas facilè vilescit, & tantum non ludibrio exponitur, ni Princeps jugi cura totus in eo sit, quò illarum violatio transgressoribus apprimè in nervum erumpat. *c. ut Clericorum. De vit. & honestat. Cler.* cum alioqui leges planè tollere, quàm continuis dispensationibus habere enervatas Reip. consultius videatur. Verùm non hæc sunt, quæ nos de ponte præcipitent. Ad prius & generalem voluntatis declarationem non utique excludere potestatem de aliquo in specie facto disponendi aliter. Hoc solum infertur: Principem postquam Universaliter certam alicui delicto pœnam ordinaverit, nec utiliter nec decore satis acturum, si eam singulis vicibus variet, aut temerè & citrà probabilem causam condonet, quò nihil temperato ad indulgendum judicio præjudicatur; cum hoc à lege eximendi arbitrium ferendo legem Princeps sibi reservarit. Adhæc non rectè dicitur Princeps ad procurandum suam legi observantiam ejus se latione ipsum obstrinxissè. Namque sibi ipsi nemo obligatur, & verò alteri nullum inde jus est, nisi fortè generaliter Reip. quat. illius in hoc utilitas versatur. Idcirca cum legislator positam à se legem, ubi visum fuerit, planè ac in totum tollere possit, ecqui ipsi integrum non erit, ejus effectum per pœnæ remissionem tollere circa aliquam singulariter personam, factumve, manente de cetero lege legisque observantiâ. Eadem secundæ Objectioni Responsio prostat, quæ promiscuam Principis indulgentiam, indeque emergens,

gens legis vilipendium meritò oppugnat, ut nihil rectori ad ignoscendum prudentiæ, nihil moderatæ, suadente bono publico, pœnarum remissioni præjudicet.

§. VI. Ita destructis, quæ contra ignoscendi potestatem, aut scrupulosa suggerere conscientia, aut Stoica armare immanitas poterat, proximè nitendum fuisset, ut eam adstrueremus positivè argumentis ad illius existentiam efficaciter svadendam directè tendentibus. At præter quod moralium & juris ea est conditio, ut competere justaque esse censeantur, cùm esse injusta nulla in contrarium ratio suppetit, etiam hæc Tractatio Causis aliisque attributis tantopere est innexa, ut seorsim extricare nihil opus sit, iis autem erutis & ipsa in lucem ultrò fit emerfura.

P U N C T U M III.

De Causis.

§. I. **C**Ausa Efficiens gratiosæ hujus in Principe potestatis in genere eadem est quæ ipsius Principis quæ talis. Quod subjectum aut totum excitavit, idem attributa, partesque eorum excitavit oportet. Speciatim *Prima*, est Deus Opt. Max. *Secunda* alia *Principalis*; Liber Populus; alia *Instrumentalis*, vel *Procreans*: Pactum & Lex Regia, vel *Propagans*: in Cæsare, Capitulatio; in Imperii Statibus, Investitura.

§. II. Magnificum Numen cùm Regem Ense cingeret, ecquid putemus, strictum magis quàm reconditum, in justitiæ quàm clementiæ signum ei obtulisse. Ipsa Deitas non minus per gratiam ac vindictam bonitatem suam explicat, & si quando fulmine terret, mox sol renitens mitigatum nobis Dominum renunciat. Quid Princeps Terrenum Numen, quem Deus ingens ideo extruxit, ut sui in eo effigiem nobis exhiberet; Nov. 69. c. 4. §. 1. num rectè illam gerat nisi Cæsar ex utroque, quo terreat, quove misereatur, ut cùm timendum pœna, gratia efficiat amabilem, utraque plenum Majestatis. Oppido Salvator cùm vitæ necisque *Potestatem* Præses ostentaret, *non haberes*, inquit, *potestatem in me ullam, nisi ea tibi supernè advenisset.* Joh. cap. 19. v. 11. Idem Leges inculcant, quotiescunque suum Principi imperium & omnia cœlitus arcescunt, è quibus nunc modo vide
fis.

sis. pr. de Concept. ff. & Novell. 73. Præf. §. 1.

§. III. Non levis est momenti, quod quærat quis, sitne Deus Potestatis ignoscendi Causa efficiens *Mediata* an *Immediata*? Sed hoc dependet à quæstione, quâ an ipse Princeps à Deo *Mediatè* aut *Immediatè* constituatur, recentiorum dissidiis cœpit agitari. Nostra hoc negotium duntaxat ex obliquo spectat, sique nihilominus verbo, quid mihi videatur, indicare non dedecet, à partibus tamen prius esse non licet, quàm quæsitæ indole aliquantum excussâ. Aliud est quærere de modo habendi potestatem mediato aut immediato *ratione superioritatis & respectu* hujus aut illius in Terra hominis, à quo ceu superiore dependeas, eoque demum intercedente à Deo; aliud, de eo quærere *ratione Causalitatis*, & num reges absolutè immediato Dei influxu, nullo prorsus hominum interveniente commercio ad istius fortunæ evehantur fastigium? De superioritate conclamata res est, & constat inter omnes, quod ipsa Imperii natura exigit, Germanorum Monarcham, ut Deus est Terrenus, ita præter Deum immortalem, superiorem à quo dependeat neminem agnoscere *Reink. de Reg. Secul. & Eccles. cl. 1. c. 1.* Utique postquam Cyclopicum Papæ supercilium, quo ille elatus Sacerdoti Principem, sceptrum Pastoralis baculo subjicit *Extrav. Com. c. 1. de Major. & Obed.* scriptorum armorumque contusum ictibus nunc tandem bonam partem detumuit. Aliorsum tendunt quæ à diversis hanc in rem disputata videas. Illa ego ut nonnihil tangam, distinguo inter immediatam, ita loquar, *ratione causæ concurrentis, & intercedentis.* Priorem advertere est, quando Deus operatur modo planè absoluto, àque creaturarum concursu denudato. Quod fit vel *Physicè*, creando Adamum, resuscitando defunctos, vel *moraliter*, ablegando Mosen, vocando Paulum ceterosque Prophetas & Apostolos. Posterior modus obvenit, ubi operantis Dei influxus producendum proximè tangit, nullo interveniente, in quo prius recipiatur, perque id demum penetret in effectum. Hujusmodi immediatum influendi modum, qui summis in orbe potestatibus invident, næ illi omnem subruunt. Præter quod hic examussitatus operandi ordo Divinæ perfectioni summè congruit, eo in constituenda Majestate remoto etiam hoc absurdum propullulat, quod contra expressam Scripturam S. non tam ipse Deus, quàm alia secunda Causa ejus tantummodo virtute sublevata illi se adornandæ accingeret. E contrario absolutum illum operandi modum

modum hîc velle applicatum, qualicumque primâ fronte pietatis specie ablandiatur, penitius tamen excussum omnia inter Imperantem & Parentes jura, omnes nexus, vinculum omne ipso jure subvertit. Quinimo oculari experientiæ directè adversatur. Imperii status, quod in Electione obvenit, successorem eligunt, electum inaugurantur, ejusque se directioni submitunt. *l. 1. ff. de Const. Princ.* Hæc agendo sc. nihil agunt, & Princeps futurus ad nudam ipsorum præsentiam, repudiato cujuslibet arbitrio, à solo cœlesti arbitro felix suæ potestatis auspiciam consequitur. Si id est, cur à subditorum manibus diadema recipit, cur iis fidelem imperii administrationem adeo sanctè adpromittit. Sanè ita Majestas à Deo immediatè non producitur, & quæ illud aliquali specie suadere momenta possint, superfunctorie inspecta exanimantur.

§. IV. Quibus assertis cum inde fluat, causas etiam secundas in potestate hac constituenda intervenisse, ex serie earum meritò prima se offert illa *Principalis*, quam dixi, Liber Populus. Nam si reputemus naturam ex se homines gignere æquales & à servitute liberos & quavis obligatione solutos, præter quam ipsa liberis generatio imprimit. *l. 32. de R. Jur.* facile liquet, quicquid homini in hominem juris ac potestatis competit, non aliunde quam proprio illius facto ipsi obtigisse. Sed porro, quando Potestas Ignoscendi est è civilibus, ipsaque adeo summi imperii particula, non aliam originis suæ causam, quàm universitatem ac integrum populum agnoscere potest. *l. 2. §. 11. de O. J.* Nam & puniendi potestas aliter à Principe exerceri nequit, quàm ut is collectas in se multorum vires in unius petulantiam effundat; Quò par aggratiationis natura esse intelligitur, ut cum hæc in puniendi ratione fundetur, eodem quoq; cum illa modo, multorum demum conspiratione spiritum obtineat. Id tandem liquido claret, liberum esse oportere, qui ad constituendam ignoscendi potestatem populus concurrat. Est namque libertas nihil aliud, quàm potestas in seipsum, qua utique frui quem convenit, ut possit eam in se alteri conferre. Privatio enim præsupponit habitum, & sit oportet, quod operatur. Est autem Libertas vel *Absoluta & Naturalis*, eorum qui in statu suo naturali persistentes civitati adhuc nomen non dederunt; vel *Restricta & Civilis*, liberi populi seu eorum, qui quidem in civitatem coierunt, sed electa regiminis formâ, quâ omnes

omnes singulis imperant, & singuli omnibus obtemperant. Alter-
 utrâ instructos esse oportet, qui pactum submissionis ineunt, qui ve-
 per illud aggratiandi ut quamvis aliam Majestati in se potestatem per-
 mittunt. Proinde Homines Romani, cum olim ad novæ urbis au-
 spicia ex agris cryptisque confluerent, quotquot novellæ Majestati
 excitandæ suo jure operam dedissent, corpus & vitam suam futuro
 Principi pleno planoque jure permittere oportuit. Quod quò minùs
 rectè fieret, non obstitit obligatio, quâ ad se in vita conservandum
 societati humanæ tenebantur. Hanc enim Civilis absorbit, conten-
 ta obtinuisse quod quisque eorum in se juris habebat, neve ipsi mo-
 dò de injuria querendi copia suppeteret, si quando in eum Resp. gra-
 vius quid consulisset. Quo iplo tamen pro se nemo eorum Princi-
 pem obligare voluit, ut pœnam à delinquente necessariò exigeret,
 cum hoc ad Majestatem constituendam non esset necessarium. Et li-
 cet universi cives eò Rectorem suum obstrinxisse intelligantur, ne ul-
 tori ferro aruginem obduci pateretur, ubi id vibrare publica necessi-
 tas exigeret, æque tamen prudentiæ ejus æstimandum rel quere, quan-
 do futurum sit, ut civitatis status ac conditio aut veniam postulet
 aut vindictam.

§. V. *Causa Instrumentalis* qua intercedente potestas ignoscendi ut
 quælibet pars Majestatis alia in Imperantem descendit, innui esse pa-
 ctum, remotè illud, quo multitudo in unum cœtum coaluit, pro-
 ximè, quo sui regimen instruxit, sive id propria inter membra fir-
 maverit *l. 2. §. 8. de O. F.* sive in meliorum aut unius transtulerit ar-
 bitrium. *l. 2. §. 9. & 11. eod.* Quibusvis enim administrandi formis
 olim Rom. Imperium temperatum fuisse literarum nobis monumen-
 ta declarant. Imprimis Monarchica enituit, quæ ejus magnitudi-
 nem & vidit auspicalem, & felici adhuc regimine sustentat. Pacti
 verò submissionis, quo Monarchica Majestas in Principem descen-
 dit, aliqua velut applicatio Lex est famosa illa Regia *l. 1. pr. D. de*
Const. Princ. §. 6. Inst. de F. N. G. & C. §. sed & hoc 7. de Concept. Dig.
 cuius tenore Augusto obvenisse existimamus, quod inter alios refert
 Dion *l. 53. Hist.* ut revera sui juris & absolutæ potestatis fieret, fa-
 ceret quæcunque vellet, quæcunque nollet non faceret, certè igi-
 tur & pœnam veniamque exacto ad fas bonumque arbitrio admeri-
 retur. Haudquicquam tamen ex illo Dionis loco colligendum nobis
 vide-

videtur, quod communiter censent, Legem Regiam Augusti demum tempore latam fuisse. Quasi sc. Senatus de Augusto Consultum, cuius ibid. Dion meminit, necessariò idem esse quod Lex Regia debeat, nec aliter intelligi possit, quomodo vigore legis alicujus, quæ de Regia potestate concepta fuit, Augusto conferri imperium poterit, ut tamen illa non sit lata Augusti ætate. Mihi vero maxime consentaneum videtur, legem illam non esse diversam ab ea, quæ prægnantem mortuam humari vetuit. *l. 2. D. de Mort. infer. nec ideo novam, sed jam tempore latam Regum Rom. §. 7. de Conc. Digest. voc. Antiqua.* ad Augusti verò imperium delatam & denuo applicatam. Quod quomodo statui possit conformiter, ne nunc à scopo nimium declinemus, alia promendum occasione reservo.

§. VI. In Imperio nostro Romano-Germanico potestas ignoscendi alia occurrit *summa & absoluta*, quæ est Imperatoris; alia *subordinata & communicata*, quæ Statuum Imperii, quas causis procreantibus ideo parum differre putavimus, quòd principium principii idem est & principiati, vertitque in propatulo: Imperatorem Rom. omnis Gratia & Majestatis fontem censerì, à quo illa fluit & ad quem refluit. *Gail. l. obs. 30. n. 21.* ut quocunque tandem titulo ac merito Majestatis simulacrum in Imperii proceres, territorii Dominos derivatum fuerit, ab alio quàm Cæsare derivatum esse non possit. *vid. Knich. de Subl. & Reg. territ. c. 1. n. 193. Anton. Köler. Tract. de Jur. Imper. sect. 57. & 58.* Diversa causæ proferentis ratio est, quâ utique multùm discrepant. Ne *Principalem* memorem, quæ in Imperatore *radicaliter* est totum Imperium, *Formaliter* Principes Electores; In Statibus autem supposito jure succedendi in Secularibus aut factæ Electionis in Ecclesiasticis una & eadem ipsa Majestas Imperatoria, cujus de lumine illorum lumen si non accenditur, saltem elevatur; *Instrumentalis* duntaxat facere mentionem libuit, quæ in Cæsare celebris est Capitulatio Imperatoria. Singulariter enim pacti submissio- nis veterisque Legis Regiæ imaginem refert, & capitulationis nomen tulit, quod continet capita & articulos, quos electus Imperator se servaturum promittit. Quo nomine non incongruè *Renovationem Legis Regiæ* cum aliis salutatur *Reink. de R. S. & E. l. 1. cl. 3. c. 9.* Ratione Principum Imperii Causæ Instrumentalis in propagandâ potestate Territoriali vicem sustinet Ritus investituræ, per quem Juri-

bus illorum ad se plenè exerenda supremum accedit complementum, de quibus omnibus, quia ad naturam potestatis ignoscendi ulterius nihil faciunt, consulat, qui volet, scriptores J. P. inter eos Hermes Fascicul. J. P. c. 9. & c. 14. n. 67. & seqq.

P U N C T U M IV.

De Subiecto.

§. I. **S**ubjectum Potestatis ignoscendi cui illa per modum attributi moralis adhæret *absolutè* est Princeps, *Restrictè* Princeps Romanus aut Romano - Germanus. §. 6. *in fin. Instit. de J. N. G. & C.* Liquido id ex supra dictis constitit, nunc paucâ declaratione opus est. Principis Vocabulum aliàs varias acceptiones admittit, quas jam evolvere parùm attinet; Potiores videas licet apud Hermes *Fascicul. Jur. Publ. c. 23. n. 3.* Hoc impræfens ad nutum nostræ Tractationis annotamus: Principem alium esse *moralis valore & existimatione, civili alium imperio & administratione.* Speciatim in Imperio nostro Principis Titulus in personis aliis denotat profapiam simul cum possessione & administratione imperii, in aliis profapiam citra possessionem cum solo jure eam ubi ordo successionis tulerit apprehendendi. Nos impræfens specioso hoc nomine designamus, qui ipso opere idque cum plenitudine potestatis præest, quacunque temp. regiminis formâ moderetur. Solus enim hic habet, in quorum corpus vitamque puniendi potestatem exerat, ut rebus sic ferentibus prudenti cœpto poenam cum gratia possit commutare. Qualiter tanti fulgoris expertes eos quoque declaramus Duces Regesque, quos vel ad bella conficiendum, vel solùm ad imitandum Monarchicum splendorem Resp. Aristocraticæ & Democraticæ sibi constituerunt. Tales ferè erant prisci Spartanorum reges, quos subinde ipsos exilii horror circumveniebat. Hodienum Dux Venetus, quantocunque honoris cultu spectabilis infra tamen ignoscendi potestatem est. Non etiam Princeps alii eam communicare poterit, ni imperium erigi contra imperium, & orbem duobus collustrari solibus velit. Est enim Regale unum omnium splendidissimum, quod Principem sibi reservare convenit, ut benignitatis & clementiæ gloriam consequatur, subditorumque sibi amorem conciliet & invidiam populi declinet. *Quam Regia*
in rem Poëta;

*Regia crede mihi res est succurrere lapsis,
Nunquam conspicitur meliori licentia causa.*

Ideo Carolus V. cum Senatum Mediolanensem potestate ferè Regiâ ornasset, id tamen singulariter excepit, ne illi delictorum veniam, aut salviconductus indulgere liceret. Bodin. *l. 1. de Rep.* Quin nec Regis Matri absque Majestatis dispendio id permitti posse, curia olim Lutetiana judicavit. *id. ibid.* Ea de causâ Tiberium Imperator. asyla sustulisse, ut gratia servatorum soli Principi deberetur, Autor est Tacitus 3. *Annal.* & si forte alicubi asyla tolerantur, eorum tamen securitas à solius Principis indulgentia dependet, qui ea & aperit, & tutum inde recessum præbet §. *fin. Inst. de his qui sui vel alien. jur.* vid. Herm. *Fascicul. Jur. Publ. c. 11. n. 123.*

§. II. In Imperio nostro Romano-Germanico ad fortiendam ignoscendi Potestatem, nihil refert, qui regiminis habenas moderatur, summusne absolutè, & in integro imperio, an restrictè & in suo duntaxat territorio censeatur. Uterque enim clavo assidet, & vi insita ac propria subditorum vitæ necisque arbitrium promit. De Imperatore dubii nihil urget, nec de Imperii Statibus, qui regalibus pollent, in obscuro esse patitur, tum ipsa experientia, tum Maximæ sanctitas: Germaniæ Principem suo in Territorio id posse, quod potest Imperator in imperio. Gail. *de Pac. Publ. 1. cap. 6. n. 10. & 2. observ. 57. num. 7.*

§. III. De Magistratibus, qui absque jure Territoriali aliquo cum Imperio præsunt, quæri solet, an ignoscendi potestate polleant? Dico: qui præsunt cum imperio; In Judiciis enim Pedaneis, facilè constat, locum invenire illud Lysiaæ Orat. 2. *in Alcibiad.* Si cui multa videtur gravis, aut lex severior, cogitandum erit, vos non ut legem feratis; sed ut secundum leges latas judicetis huc venisse: Vid. *l. 12. §. 1. Qui & à quib. manum. l. 1. §. 2. D. Quæ sent. sine appellat. rescind.* De illis svaderi id posset, (1.) Quod Principem repræsentant, & quicquid jurisdictionis habent id Principis vice exerunt, quidni pariter ejus nomine delicti gratiam fecerint, cum hoc nihilominus ipsi Principi deberetur. (2.) Quod quibus est concessum judicandi arbitrium, pœnas etiam à lege ordinatas moderari debere videantur, absque quo potestas judicandi vix intelligitur; hocque magis, cum hodie omnes pœnæ arbitrariæ factæ sint & extraordinariæ *l. hodie 13. de Pœn.* Sed jam his

per superiora nervus intercidit. Impræsens annotamus, Jurisdictionem
superiorem illam hodie adverti duplicem: *Realem seu Transitoriam*,
quam castro aut feudo annexam Status Imperii rursus in suos subdi-
tos per investituram aut aliam concessionem conferunt; & *Personalem seu Administratoriam*, quam Principis nomine constituti ab ipso
Magistratus exercent. Hahn. *ad Wesenb. de Jurisd. n. 8. Struv. Exerc.*
4. §. 80. Sed hæc quod ad potestatem ignoscendi nihil differunt, cum
illa congruat neutri. Etsi enim & DDrum consensus & praxis ipsa
aliquam saltem pœnæ immutationem illis addicere videntur: tamen
cum ipsi hoc restringant ad pœnas leviores, mortemque non infe-
rentes, nec minus aliquam mitigationis hujus à remissione differen-
tiam advertere sibi videantur, Carpz. *Pract. Crim. p. 3. qu. 150. n.*
16. & 35. Struv. Synt. Jur. Civ. ad SCt. Turpil. n. 9. plena hic dubiis
omnia supersunt. Certè mitigatio ipsa est partialis remissio ac ejusdem
cum ea indolis, neque ideo diversæ potestatis. Non etiam Regalium
à cæteris juribus diversitas à qualitate arcesci potest pœnarum magis
aut minùs graviorum, sed ab ipsius potestatis naturâ dependet.
Proindè mitigationem nos Magistratibus non aliam quàm remissio-
nem concedimus; h. e. ob causas ipsi delicto infitas ejusque ipso jure
atrocitatem minuentes. Quo referimus, quod ipsi AA. causam hujus
mitigationis requirunt gravem & momentosam, *locis citat.* Neque
tamen inficiamur in delictis levioribus ob minus Reipub. incom-
modum, causam quoque minus arduam sufficere posse. Unde fortean
contigit, liberius in his arbitrandi judicium Magistratibus per-
mitti, ut hinc occasio cœperit putandi, eos in levioribus ex se ple-
nam habere immutandi potestatem. Quò merito applaudimus Dn.
Struvio, quando *loc. cit.* contra Carpz. receptam in Collegio Juridi-
co Jehnensi sententiam esse dicit: Pœnam fustigationis in aliam abs-
que præscitu Principis mutari non posse. Et igitur quod dubia an-
te posita concernit, r. ad (1) Id valere de juribus genii inferioris,
non verò Regalibus & Majestatis, quæ ipse exercenda sibi Princeps
reservavit. Ad (2) id duntaxat inferre æquam humanamque pœnæ
legalis ad singularia facta applicationem, in qua jus remittendi & mi-
tigandi magistratus consistit, non istunc sublimem ignoscendi modum,
prout horum inter se differentiam in superioribus jam declaravimus.
Ita Horatius de tribus Curia iis victor, cum propriam sororem com-
munem

munem lætitiæ privato turbantem luctu obviam sibi interemisset, ea de causa damnatus Judicum sententiis à populo, ad quem provocavit, delicti veniam consecutus est, quam judices inferiores etiam ex prægnanti causa indulgere non poterant. *Liv. I. Dion. 3.*

P U N C T U M V.

De Objecto.

§. I. **O**bjectum Potestas ignoscendi, cum potestate puniendi agnoscit commune, ad quod tamen actu planè opposito versantur; hæc infligendo & exigendo, illa parcendo remittendoque. Est id vel *Personale*, vel *Reale*. *Personale* miser & criminis manifestus. *Reale* vel *Fundamentale*; Delictum Civile, vel *Formale* delicti pœna.

§. II. Hoc facile liquet, miserum compunctumque esse oportere, quæ Principis gratia respiret. Alius eam non implorat, si que offeratur injuriam quàm gratiam citius interpretabitur. Etenim venia præsupponit demeritum, nec potest intelligi de jure suo remittere, qui eo ad exigendum nullo utitur.

§. III. Delictum & pœnam, quæ sunt objecta Potestatis nostræ *materialia*, *formali* velut insigni aliquo instruit Respectus civitatis. Namque eat. solum facta in Kemp. mali indole feruntur, civilique Majestati punienda prostant; certè igitur & hanc ea indulgentiæ suæ sphaeram habet, ultra quàm prodesse si maximè præsumat, id tamen omnino frustra futurum sit. Unde liquido fluit, si quod commissum Naturam simul & Civitatem conspurcet, impetratâ ejus veniâ id duntaxat delinquentem consequi, ne in foro civili de eo amplius accusari debeat, non simul quò & in Naturæ foro vox Præconis horrida conticescat; quia non statim illa causa, quæ in civili judicio impunitatem meruit. Divino pariter tribunali ad eandem impetrandam obversatur.

§. IV. Civilis autem delicti ratio exactè dependet à Lege civili in quam impegit, indeque unice dignoscitur. Sed dicitur lex civilis duplici modo, vel *ratione originis*, quæ humani legislatoris arbitrio ortum debet, sive in Rep. ubi viget adinventâ, sive aliunde translata fuerit; quo sensu vix centesima juris Romani pars civilis
nomen

nomen meretur, detractis ceteris sat modicis ex se finibus usurum; vel dein *ratione valoris*, quomodo id omne civile est, quod civili auctoritate redonatum, & effectum in Civili foro ac efficaciam habet. Ita Leges Naturales tanto nobis Civiles videri magis debent, quanto ex earum violatione plus in Remp. detrimenti redundat. Si tamen aliquam earum Legislator Civilis singulari de Causa in civitatem non recipiat nec actionem ei civilem tribuat, hæc civilis non erit, & solum in foro poli, si quis contra eam fecerit, tenebitur. Ratione igitur Autoritatis nihil inter LL. naturales mereque civiles discriminis intercedit, cum utriusque generis, quod in Civitate valent, id habeant à Principe, qui ut has ipse instituit, ita illis à natura latis, quò effectum quoque Civilem obtinerent, plenum suæ autoritatis robur, saltem præsumptivè, accommodavit. Proinde quicquid contra aliquam istarum committitur, delictum audit Civile, non obstante, quod alio respectu naturale evadat. Eatenus enim nihil ad Principem, qui, si quid ipse aut pœna prosequitur, aut impunitate, nomine agit solius Civitatis.

§. V. Vel hinc constat, quid de quæstione satis aliàs celebri sit sentiendum: An etiam delicta naturalia sint Objectum potestatis ignoscendi, s. quod idem, an ea quandoque Princeps impunita dimittere queat. Frequens DD. consensus hîc negativam commendat, quorum ex mente Carpz. *Notabiliter, inquit, limitatur regula hæc in Delictis Lege Divinâ severe prohibitis, velut est Homicidium, Adulterium, Blasphemia, Sortilegium, Sodomia. Quia enim horum criminum reos jus Divinum morte punire jubet, ne quidem summus Princeps aut Magistratus quis superior hoc Casu mortis supplicium absque Causa sufficienti remittere potest. l. c. qu. 150. n. 29.* Sed contra: Leges naturales ratione valoris in Civitate ut tali nullæ dantur, ubique Princeps quicquid punit nomine facit civitatis, eatenus igitur & facta impingunt, & in civili foro vindicantur: Hîc verò quia unus idemque Legislator est, ubique Civilis, ipsæ etiam leges quantumcunque secundum originem diversæ, efficaciam tamen tantopere diversam non sortientur, quin ob Necessitatem publ. Principi quandoque iis forum præcludere liceat. Quæso Te, cum ex communi sententia eâ de Causâ Civilis Legislator legem aliquam naturalem planè suo loco possit relinquere, nec actionem ei civilem tribuere, qui legis circa unam personam certo casu effectum

effectum inhibere ipsi integrum non erit? In miro est AA. cum hæc ita confidenter docent, non meminisse usus reclamantis priorumque placitorum, quibus subinde in veritatem incauti incidunt. Si homicidium quocunvis casu morte expiandum, qui eam ex mente Carpzovii puellæ procantis intercessio, qui benè in Remp. merita elident? si Blasphemia semper capite plectenda, cur Jus Saxonicum vel linguæ abscissionem inhibet? Conf. hîc *Responsum Facultatis Theol. Wittenbergens.* quod est apud Struv. *Synt. Jur. Civil. ad Sct. Turpil.* §. 48. verbis: *Aber darumb nicht der Obrigkeit zuhalten anbefohlen worden.* & infra: *oder sonst auß erheblichen gnugsahmen uhrsachen erachtet wird.* Sed dicit Carpz. in naturalibus *absque causa sufficiente* id fieri non posse. Ideone in civilibus temerè id facere licet, nec in Justitiam Gubernatricem peccabitur, si pœnam remittas, ubi Reip. necessitas eam infligere jubebat? Ecquæ hîc erit Causa sufficiens; An momentum publicæ utilitatis? Certè hoc & nos requirimus in Civilibus æque ac Naturalibus. An vero talis, quæ pœnam ipso jure mitiget? Jam igitur non aggratiatio est, sed æquitas observatur.

§. VI. Sed rationes videamus, quibus Autor nixus in naturalibus aggratiationem non permittat. *Quia, inquit, (I) Inferior non potest abrogare legem superioris. Speciatim istac misericordia prohibetur. Deut. 13. v. 8. Hebr. 10. v. 28. Exod. 21. v. 12. R. 1. Nunquam remissio pœnæ legalis fuit legis abrogatio, ut non in civilibus ita nec in naturalibus. Si enim legem Princeps abrogatam vellet, aggratiatione opus non foret. R. 2. indirectè: Non potest inferior leges abrogare superioris; ita est; sed nec ideo ejus sibi majestatem & regalia arrogare, quod omnino evenit, si Magistratus propter violatas leges naturales ut tales punit. Sic enim & earum autor habebitur, nisi fortè absurdum non est, alium habere potestatem legem aliquam ulciscendi, ac qui eam tulit, quo nomine in S. literis non semel Deus sibi vindictam ceu splendidum regale attribuit. Et tandem si Princeps delictum punit ut est contra naturam factum, quonam modo id puniet Deus? An fortè idem secundum eundem modum bis punietur? R. 3. Directè: Princeps delictis non aliter ignoscit, ac quat. in legem civilem commissa fuere; hoc non impedit, quo minus ut contra legem facta naturalem acerbè satis Deus ulciscatur. Pariter hinc corrui fundamentum Mathæi, quod ipse immotum censet;*

D

Principem

Principem duntaxat legibus civilibus solutum esse, non verò Divinis ac naturalibus; neque ideo integrum ipsi fore, si quid contra has patretur, quo minus patranti necessariò pœnam immittat. de Crim. p. m. 842. Enimvero Princeps, quod modo dixi, istac delicta, ut civilia punit pœnâque onerat civili, quam proinde speciatim remittendo nihil contra legum naturalium majestatem committit, neve earum arbitrium gerenti, apud quem solùm & ipse ob violatum naturæ dictamen, forum sortitur, in jurisdictione suâ præjudicat. Dicta, quod refert, scripturæ, misericordiam removent vanam & temerariam, eam quæ in necessitates Reip. impenditur non item.

§. VII. Obj. 2. Principem suum cuique tribuere debere, ideo Achabum terribilem vocem audisse 2. Reg. 26. ita increpatum Saulem. Sam. 13. vers. 14. R. (1.) hæc plus probant quam debuissent, & si quid huc faciunt, aggratiationem in civilibus eodem nervo jugulant, quo in naturalibus. (2.) Si de ipso delinquente mens sit, cui suum veniat tribuendum, spondeo eum in exigenda pœnâ de jure suo remissurum; sin de Rep. cui fortè aggratiatio damnum injungeret, utique committitur ignoratio Elenchi. Hoc ipsi volumus eaque de causa alio casu etiam aggratiatione opus esse censemus. Vid. de his plura in punct. de Exist. Dicta Scripturæ intempestivam contra speciale Dei mandatum indulgentiam perstringunt, idque non in causa delictorum, sed juris in holtes Dei & Ecclesiæ usurpandi; ideo quomodo huc faciant non apparet.

§. 8. Quæ (3) movet; hac gratiæ facilitate & impunitate reis concessa, & his ipsis & aliis ob spem confimilis veniæ materiam fore delinquendi, & (4) Principem alioqui graves populi de neglectu justitiæ querelas in se exfuscitaturum, si quid huc conferunt, aggratiationem prorsus omnem in civilibus juxta ac naturalibus subvertent. Sed nos ea jam infra diluimus, ut jam recoquere nihil opus sit. En obtensa communiter argumentorum pondera! quæ nisi autoritate quàm virtute magis pugnassent, super quibus tantum verborum fieret, videri indigna poterant.

P U N C T U M VI.

De Conceptu Definitivo.

§. I. Ut quævis res Divini humanique juris, ita non minùs ignoscendi

scendi potestas exactè naturam suam nobis repræsentat per sui cum aliis convenientiam, & sui ab iis diversitatem. Convenientiam exprimit genus, quod attributo nostro remotum est potestas, Proximum potestas Imperialis. Diversitatem differentia subjungit desumptam à formâ, quam in condonatione collocamus, facta ad objectum determinatione, ut ea circa delicta & pœnas competere intelligatur. Hinc potestatem ignoscendi definire est; esse Potestatem Imperialem condonandi delicta, pœnasque iis debitas.

§. II. Potestatis Imperialis duo sunt conceptus, in quos ejus se natura resolvit. Alter Moralis: Juris plenitudo. Naturalis alter: Virium præcellentia. Priorem ex se desudat indoles potestatis, quam prout huc pertinet Dn. Pufend. *lib. I. de J. N. & G. c. I. n. 19.* definit esse, quâ quis aliquid legitimè & cum effectu morali agere potest. Est enim qualitas operativa, quæ congruo tempore se exerit, & respondentem naturæ suæ effectum producit, haud aliter, quàm in regno Physico potentia naturales, ut sunt ambulandi, generandi, erumpunt in actus, & pro indolis & objectorum varietate diversas edunt operationes. Enitescit autem effectus ille moralis in re præsentis, ratione tum ipsius aggratiati, tum aliorum. Ratione aggratiati: ut se admissio quamvis crimine pro justo & innocente gerere possit, delictum etiam quasi nunquam patratum negare; tandem ut nec alteri ejus causa ad pœnam subeundam teneatur, facturusque injuriam sit, qui imponere aliquam voluerit. Ratione verò aliorum: ut obligatio illis afferatur, reum detentum fortè aut malè affectum restituendi, nec aut delictum ipsi exprobrandi aut pœnas ab eo exigendi, hoc potius operam daturis, ut quem ipse in gratiam Princeps recepit, etiam quantum in se sit integritati suæ redonatus videatur. *Posterior Physicus*: virium valorisque præcellentia, ex indole societatis Civilis supervenit, per quem potestatis natura à generalitate suâ ad imperium restringitur, & exactè fit *Imperialis*. Consistit hæc præstantia in eo, quod singuli cives aut modica eorum pars minùs valent quàm integra societas, omniaque ejus membra, quorum virium in Principem facta quasi collectio est, quive adeo ad ipsius nutum mentes manusque in refractoriorum perniciem gerunt paratos. Ab hoc igitur virium valore delinquenti, obtentâ remissione, plena securitas obvenit, ut ipsi timendum non sit, ne quis Principis gratiam immani ad

ulciscendum consilio sit interversurus, aut invitâ etiam Majestate ipsum rapturus ad supplicium, ut sanè Deus in veteri Israëliitarum Rep. vix etiam asyloꝝ instituto vindicum sanguinis satis averruncare calorem poterat. Jehosch. c. 20.

§. III. A Facultate morali superior habet, ut rectè & legitimè, vel cunctis ringentibus, gratiam indulgeat. Physicâ reuertes alios & fortè impedituros terret, ac proposito malo ad suæ standum indulgentiæ reumque pro fonte habendum, quod solâ juris reverentiâ à se impetrari vix paterentur, efficaciter adstringit; In quo splendor & autoritas Moderatoris civilis ab aliorum jure insigniter dignoscitur. Possunt quidem omnes qui jure naturali erga se invicem utuntur, sibi ab aliis debitum, si spontè non tribuatur, vi & armis ire extortum. Quum verò frequenter contingat, ut qui injuriam fecit, viribus magis polleat, quam qui eam perpeffus est; Eapropter agentis intentio non potest non sæpissime labi in cassum, vano sine viribus titulo. Aliter cum potestate Imperiali comparatum. Hæc virium eminentiam in essentiâ complectitur; si quid una sui parte debitum sibi exigit, aut efficit, altera incusso mortis aut gravioris mali metu ad præstandum aut admittendum strenuè compellit, facultate coactivâ id seriò agente, ne quis sociæ imperantis majestatem obstinato ad renitendum animo impunè despiciatui habuisse videatur.

§. IV. Vel inde liquet, *Condonationis* indolem, in qua Indulgentiæ formam collocavimus, non concipiendam merè negativè, & tanquam quæ fiat per nudam actus vindicativi inhibitionem. Non hic Majestatem exercendi modus, non hæc ratio est. Nec ita benignitatis & Clementiæ gloria in Principe condignè surget. Potius id est, ut actum negationi *Positivum* jungamus, quem ex potestatis suæ plenitudine motu gratuito ad id Princeps eliciat, ut crimine verè extincto plenam delinquens liberationem, & moralem à pœnarum insultu securitatem consequatur.

P A R S P O S T E R I O R,

De Potestate Ignoscendi secundum Operationem.

§. I. **C**Um frustra sit potentia quæ non deducitur in actum, Ignoscendi Potestate cumprimis dignum erit, ut se ad modum quali-

qualitatum omnium operativarum subinde exerat & ostendet, ne Princeps illustre pro miseris asylum instituisse magis, quam pandisse videatur.

§. II. Habet autem se potestas aggratiandi ad aggratiationem ipsius complementum, sicut *actus primus ad secundum*, sicut principium ad id quod inde tendit ad scopum. Sc. sola ex se potestas non arcet feralem horam; Ubique actu opus est, ut illa ex indifferentiâ suâ, qua omnibus prostat, sed neminem juvat, auspiciatâ ad eximendum supplicio supplicem determinatione porrigatur. Id nunc qui fiat aliquot considerandi momentis breviter subjungemus.

P U N C T U M I.

De Causis Impellentibus & Dirigentibus.

§. I. **C**Ausæ quæ Principem ad mitiorem, quam pro delicti merito sententiam movere queant, in genere hujus sunt tenoris, ut non ex natura ipsius delicti, ejusque formalibus proveniant; Hujusmodi enim cum poenam ipso jure mitigent, etiam Magistratus remissioni locum faciunt: Sed potius quæ accedant extrinsecus, sintque in Principe magis quam in delinquente. Exin quodcunque præ se aut ponderis ferunt aut momenti, id ultimò in gratiosum Principis arbitrium resolvitur, nec quicquam aliud efficit, ac quod modò hoc irrationale non sit, neu promiscuâ Remp. indulgentiâ affligat.

§. II. *Speciatim* Causa Impellens est vel *Interna* vel *Externa*. *Interna*: Principis Clementia, quâ is ad Dei exemplum unâ omnium maximè enitatur, quemadmodum de se egregiè profitetur Justinianus l. 23. pr. C. de Nupt. *Nam ita credimus, Dei benevolentiam & circa genus humanum nimiam Clementiam (quantum nostræ naturæ possibile est) imitari, qui quotidianis hominum peccatis semper ignoscere dignatur, & poenitentiam suscipere nostram & ad meliorem eam statum deducere. Quod si circa nostros subjectos Imperio nos etiam facere differamus, nulla venia digni esse videbimur.* Hac indole quisquis censerit Princeps velit, humanum sanguinem sua ante jura, quando idem finis spondet, ducere non dubitabit; nec parùm se dignius judicabit, Conservatæ Civitatis, quam puniendo posset, parcendo gloriam adipisci. Est enim quandoque ut homines formidine mali haud sanè, quàm sui Principis amore, faci-

lius in officio contineantur. Ubi tunc rectoris prudentiæ est, viam ingredi mitiorem, nec rectè se ferro obtenturam arbitrari quod æque clementiâ commodè proveniat. Quam in rem memorabilis est ille duorum Magni nominis Imperantium Justitiæ ac Clementiæ inter se conflictus. Eò, inquit alter, justitiæ rigore in meis ditionibus deducta res est, ut si quid rei meæ noctu diuque sub dio positum haberem, nemo tamen surrepturus sit, qui meum esse non ignoret. Et mihi, respondet alter, eo rem in subditos benignitas deduxit, ut si quid mei similiter positum haberem, tantus illis sui Principis amor est, ne quisquam surrepturus sit, qui modo esse meum compererit. Felix uterque, si exactè medium inveniendò lapsus non fuit; Sed tanto magis securus posterior, quo est satius, Misericordiæ quam severitatis coram Cœlesti Judice rationem exponere.

§. III. Cum Causâ Aggratiationis *Impellente externa* conspirat causa illius *Dirigens*, adeo ut nihil intercedat, quàm diversus considerandi modus, pro quo idem Principis animum & ad ignoscendum efficaciter compellit, & quare hoc in casu quove tenus ignoscendum sit, intrinsecâ normandi aptitudine declarat. Oppido hinc, concordandi indole, utraque est vel *generalis & ultima* vel *specialis & intermedia*. Causa dirigens Generalis est Publica utilitas, quam in negotiis Civilibus velut sacram Ideam Principem constanter ab oculis habere oportet; ut secundum eam actiones suas instituat. *c. Imperialem, de prohib. feud. alien. l. 51. §. 2. vers. multa. ad L. Aqu.* Sc. hæc ultima Civitatis lex, hic finis est ultimus, cujus totum in eo officium vertit, ut causam ad agendum excitet, & dirigat excitatam. Proinde ubi stimulat nihil omittendum, sive jubendo, sive puniendo, quo desiderio ejus fiat satis, contrà cessante, cui bono est, quod iussa feras aut ense ferias. Ab hoc bono publico totum ignoscendi negotium ultimò dependet, idque constat ex facili, at quomodo hujus rationem dextrè quis ineat, ea demum anceps via est, in quam nullæ umbratiles regulæ ducunt; sed quam sola invenit solers Legislatoris Prudentia. Generaliter tamen utilitatis ratio sui momentum satis habet in propatulo, ut in re præsentis tribus conclusionibus non incommodè id liceat expedire. Alia *Absoluta*, ceteræ erunt *Comparatæ*. Absoluta hæc emergit: *Detrahendum severitati, ubicunque pœnae rigorem Publica Utilitas non exigit, maximè verò ubi non permittit.* Nam finis actioni conciliat

conciat bonitatem, qua se junctâ cur illa cessare non debeat, nulla utique ratio subest. Imprimis nihil videri magis naturale potest, quàm media ad finem obtinendum ordinata, ubi eum subruunt esse rejicienda. Quod si idem fortè pœnis eveniat, ut cui adjumento destinatæ erant, aliquo in casu obstaculo esse cœperint, jam utique rectoris prudentiæ est, ut potiùs remittantur, aut saltem earum exactio in illud tempus rejiciatur, quo minori futura incommodo esse videatur; sicut olim de Joabi supplicio Davidem secum constituisse, Testis est Scriptura S. Ne Tyrannis quidem ita semper in manu fuit, sitim suam explere, quin quandoque in opportunum tempus eam restringere satius duxissent. Quod si sufficiens in utilitate ratio est, cur quibusd. Naturæ præceptis ad modum aliorum effectum & actionem in soli foro competentem Legislatores invidere potuerint, tanto magis erit, cur Legis effectum casu quodam singulari impunitatis favore inhibendum oporteat. Nam eat. & illud absurdum non est, si Princeps ea potissimùm delicta sibi cohibenda sumat, quæ plus detrimenti Reip. illatura videbantur, dimissis aut saltem tam gravi sanctione non coercitis, quæ in se magis nefanda, mitiùs tamen afflictura Remp. erant. *Dom. Sot. l. 1. qu. 6. art. 2. de Jur. & Just.* Unde apparet modum censendi delicta non simpliciter ex interna eorum qualitate, sed indole cum primis respectivâ, prout multum parumve damni in Remp. important esse æstimanda. Non enim idem utrobique turpitudinis fundamentum est. Ibi societatis violatio humanæ, hic Civilis, quid mirum si eadem subesse mensura nequeat? Est quidem ob arctissimam societatum harum unionem, dum nihil verè utile debet censerì, quod naturam ullatenus conspurcat, ut eadem ferè in utraque leges valeant, idem obtineat puniendi modus. §. *ult. Inst. de F. N. G. & C.* Quod meritò ita fieri constat, quia homines finem institutæ Civitatis inter præcipuos erant obtenturi, ne amplius aliorum jus naturæ adversus se uti nolentium injuriis paterent, quod parum sanè procederet, si sanctioni Civili ab illius tenore multum abluere liceret. Nihilominus Formalia sunt diversa, quo abunde evenit, ut quandoque Civitatis nihil adeo intersit, Delictum aliquod puniri, quod tamen satis in se nefandum videatur; ubi tunc nulla ratio suppetit, cur pœnam extendas ultra pœnæ finem, nec potius ejusmodi crimen ultori Deo puniendum relinquant. Patet inde, quomodo satis esse proportionis

portionis queat inter furtum & patibulum, Blasphemiam & pœnam levio- rem; sc. accommoda modo decempeda est adhibenda, nec pu- tandum Taxationem Criminis Civilem, necessario eandem esse cum naturali, de quo exerte *lex 16. §. final. D. de Pœn. Nonnunquam eve- nit ut aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur, quoties nimirum mul- tis personis grassantibus exemplo opus est.* Hic enim nisi mensuram è fine Civitatis applices, non utique exactum deprehendes, censuram exem- pli ab hoc magis quàm altero incipere debuisse, cum sanè de æqua- libus statuendum sit æqualiter, & quod iniquum est in uno in altero videri æquum non debeat.

§. IV. Eodem ferè recidunt conclusiones comparatæ, quarum pri- mam ponimus hanc: Ubi ex usu pœnæ tantundem mali ac boni, & magis ubi plus mali quàm boni in Remp. redundaturum est, potius id valet ut venia tribuatur. Nam quia in tali casu pœna præstantiam suam, ob compensationem damni oppositi amittit, jam nihil est, quod quem impellere debeat ad malum rationali Creaturæ inferen- dum, cum id omninò frustra sit futurum nec sola vindictæ cupido, obstante consanguinitatis vinculo, ad pernicem alteri immittendam sat nobis causæ esse debeat. Nam quod ipse malum fecit, non præcisè infert eum quoque malum pati debere, nisi etiam futurum sit, ut vel hoc ad emendationem illius tendat, vel damnum inde datum sarcia- tur. Ne homini quidem nocebimus, inquit Seneca, quia peccavit, sed ne peccet. *Quocirca qui ratione punire aggreditur, non præteriti scele- ris causâ punit, neque enim assequi potest, ut quod est factum, sit infectum; sed futurum respicit, ne iterum aut ipse aut alius quilibet exemplo ejus ad- ductus delinquat.* Plat. Protag. Conf. Dn. Pufend. de F. N. & G. lib. 8. c. 3. §. 8. Grot. de F. B. & P. l. 2. c. 20. n. 4. & 5. Unde fluit, delicti malignitatem cum pœnæ usu exactè esse conferendam, subductâque ratione quod minus est, eligendum, ita sc. ut si alterius generis deli- ctum foret, pœna excluderetur; nunc, quia hoc est, magisque noxium, illa negligi nulla ratione possit.

§. V. Altera succedit conclusio, quæ est: Sicubi Princeps ean- dem parcendo, quam puniendo utilitatem obtinere possit, antiquio- rem gratiæ quam vindictæ gloriam esse convenit. Pretiosior homi- nis vita est, ac quæ æstimationem recipiat, *l. ult. D. de his qui effud.* cujus conservatæ beneficium si absque Reip. incommodo Princeps suum

suum facere queat, magni erit, ne supersedeat. Quin ultimum demum in fontis alterius afflictione sui conservandi auxilium natura indulgisse videtur, ut quoad alius modus idem præstandi non deficiat, minùs rectè eo quis recurrissè censeatur.

§. VI. Simul ex his constat de causâ ad ignoscendum impellente Generali & ultimâ, ut quæ impræsens cum dirigente coincidit. Estque tum publica utilitas, quæ indulgentiam poscat, tum utilitatis defectus, qui pœnam reddat supervacuum. Quo singulariter spectat, veniam non immeritò concedi ob rationem legis quodam in facto particulariter cessantem. Etsi enim formaliter omnium legum una & eadem ratio est, propter quam valeant; Voluntas illius qui eas tulit; solet tamen quælibet earum, præter istanc universalem, è momento publicæ utilitatis, prout eam concernit, aliquam sibi particularem adsciscere, cujus gratia & est, & quâ expirante frustra perdurat. Pariter verò si hæc ratio aliquo in facto speciatim cesset, pœnam saltem minuere licebit. *Casum Dn. Puf. fingit talem*: Ponamus, inquit, existere alicubi leges sumptuarias. Harum ratio generalis est voluntas legislatoris; particularis autem ne inutilibus & immodicis sumptibus patrimonia privatorum exhauriantur. Heic etsi ad sustinendam legis auctoritatem sufficiat ratio legis universalis: cessatio tamen rationis particularis efficiet, ut facilius & minori cum damno auctoritatis legum pœna remitti queat; si nempe transgressori tantæ sint opes, ut istis sumptibus non fatiscant. *l. 8. c. 3. §. 17.*

§. VII. Id tamen annotare liceat, in æstimanda utilitate hæc veniali id maximè spectandum esse, ut ea sit solida, neu quis ante pedes posita duntaxat intueatur, securus quid forte in recessu emerfurum sit malignitatis. Puerorum hæc utilitas est, qui panem papilionæ commutant, mox impunè famem patiuntur. Non eadem imperanti mens est, qui præsentia rimatur in futuris, mox subducta ratione, quod superest reputat, repudiat quod apparet. Unde etiam subditorum non est examinare, quantum in delictis puniendis salus publica verferetur. Ideo vindicandi juxta & ignoscendi potestatem ipsi in manus Principis resignarunt, quod eam se ad bonum publicum ritè exerturos desperabant. Qui improbum non erit, ejus censuram postliminiò sibi arrogare? *l. 35. D. de R. F.* Adhæc plebs parùm apti alieni lapsus æstimatores sunt, citiùs publicam coërcitionem dome-

E

sticis

sticis necessitatibus metiuntur, ad iram prouisi & misericordiam, prout sequacem bilem vanus ad pectora allapsus concitat, mitigatque, cuius spectabile exemplum in accusatione Philotæ vid. sis apud Curt. lib. 6.

§. VIII. Causa aggratiationis tam Dirigens, quam Impellens specialis potissimum dependet è connexionione finis, ob quem pœna proximè est instituta cum ipsa pœna. Hunc Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 20. §. 6. constituit triplicem: *Primum* esse ratione illius qui peccavit ut emendetur; *Secundum* ratione ejus cujus intererat non peccatum esse, ne posthac tale quid patiat, aut ab eod. aut ab aliis; *Tertium* ratione quorumlibet indistinctè, ne illis quoque noceatur, aut ne ipsi impunitate illecti aliis molesti sint. Sed hi fines se mutuo involvunt, nec realiter ab invicem distinguntur. Potius nos duplici contenti erimus, quo ceteri continentur. *Primum* facimus ut delinquens emendetur, aut inemendabilis tollatur è medio ne plus noceat atque gravius. *Rub. & l. un. C. de Emend. Propinq.* *Secundum*, ut alius à simili facto deterreatur. *l. 31. pr. D. Depos. l. 1. C. ad l. Ful. Repet.* Sed oppido rursus finis determinat opus, eoque cessante actio expirat. Cessant autem pœnarum fines triplici potissimum ratione (1.) quando morali æstimatione non sunt necessarii, ut puta si forte absque animadversione delinquentem nequitiae missurum repudium esse constet, & etiam aliorum ab istoc peccandi genere abtractio ex accidenti evadat supervacua. (2.) Quando fines alii ex opposito occurrunt non minus utiles & necessarii, puta, si ex omissione pœnæ idem aut majus commodum Resp. videatur consecutura. (3.) Quando fines pœnis propositi alia ratione commodius obtineri possunt. His forte emergentibus, nihil apparet esse, quod ad pœnam in foro humano præcisè decernendam nos obliget. vid. *Grat. caus. 23. qu. 3. c. 18. & 24.*

§. IX. Iisdem ferè fundamentis ignoscendi potestatem Grotius superstruit de J. B. & P. l. 2. c. 20 §. 22. Quæ convellenda sibi sumit Ant. Mathæus de Crimin. p. m. 845. obtendens t. præter tres istos pœnæ fines dari adhuc quartum, nempe ut malus è medio tollatur, ut ne terra inquinetur flagitiis, neve vindictam ab iis, qui neglexere scelera vindicare, supremus Jūdex sumat. Nihil dici poterat minus accuratum. Quæstio est: quare quis puniendus, quare propter

propter malitiam tollendus è medio fit? indicatur, id fieri, ut malus tollatur è medio. Controversia tendit: an quovis casu, etiam reclamante bono publ. lapsus fit vindicandus? Respondetur id esse necessarium, ne vindictam taliter non exactam supremus Judex vindicet. Nunquam audivi magis principium peti: Titium agere, pati, in finem, ut agat, ut patiat. Fieri vero id inde, *ne terra flagitiis inquinetur*, finis est Rhetoricus, quem voluisset Grotius è pœnæ natura atque instituto sibi educi. Nempe non terra delictorum impunitate; sed commissione inquinatur; saltem per commissionem non aliter, quam *indirectè & consequenter*, quat. pœna ad alios deterrendos exemplo servit, quod enarratis à Grotio finibus expressè continetur. Aliàs factum pœna infectum reddere non potest, qui fufum in terram sanguinem fontes resorbere efficiet? II. Exc. si maximè tribus pœnarum finibus quis contentus esse velit, nunquam tamen Grotium probaturum, fieri posse, ut tres isti fines cessent eodem tempore, eademque in persona & admissio. *¶. 1.* Quin potius Math. probet id fieri non posse, tantisper enim res esse congrua creditur, donec absurditatem alter demonstret; non ideo quid factu impossibile putandum, quod rarissimè contingit. *2.* Fines hi non sunt æque principales, nullus eorum adæquatus est, proin uno cessante, pœna si non tollitur tamen mitigatur. *3.* Fines illos cessare, non tantum fit *negativè*, quando non sunt necessarii, sed sæpius *positivè*, quando quidem adsunt; sed ab oppositis magè necessariis suffocantur, quod non rarenter accidit, ut una Reip. necessitas, factâ comparatione, universæ finium trigæ prævaleat.

§. X. Pro ratione modorum quibus pœnarum fines cessare posse modo deduximus, nunc speciales aliquot subjungo pœnæ relaxandæ causas. Et quid. ob cessantem finium utilitatem. Ima emergit delicti obscuritas, si in civitate certum quod peccandi genus hæctenus incognitum inauditumque fuerit, & periculum videatur, ne publica castigatio ad usum illius hominibus prodendum, quàm animis, quos nondum infedit eradicandum magis valitura sit, hoc utique casu ad impunitatem inclinare quàm punire consultius videretur. Nam verè ita habet, multos se à peccato abstinere, vitiorum potius ignorantia quam fastidio, & quod pœna alterius exempli habet in delicto antea incognito adeo ad illos deterrendos facit nihil, ut petulantem

ipforum curiositatem ad idem tentandum potiùs impellat. Quo spectat ratio Solonis, quare legem de parricidio non tulerit, ne non tam prohibere quam admonere videretur. Nec contrarium suadent, quæ Mathæus exempla opponit: Achanis sacrilegium divinitus detectum, ne quisquam impius veniam speraret latendo, & si pro virgine nupfisset, quæ clanculum corrupta erat in publicum productam lapidibus fuisse obruendam; Incestum à Thamarè admittum clam & nemine conscio, tamen eo rem spectasse ut flammis rea subici jubere-
tur. Quasi verò hoc Grotio appelletur crimen in Rep. incognitum, quando Mathæus fortè non sensit, Titium sibi secare crumenam. Quæ hæc est ab elencho deviatio: delictum secundum totam speciem & ipsum exercendi modum in Rep. incognitum ac inauditum confundere cum actu delicti individuali hujus vel illius peccantis nondum manifesto? Jam, credo, furti & fornicationis crimina in Israëlitar. Rep. insolita erant atque incognita quòd non Achan in suo furto, non suo Thamar in concubitu deprehensi fuere, etiam tunc, cum dies flagitium omnium oculis exhiberet. Etsi verò hæc impunitatis ratio ad statum antelegalem potissimum spectare videtur, nec adeo apparet, qui delictis expressa lege notatis fieri possit, ut eorum quis exercitium ignoret, non tamen dubitandum, posse & hic gemini quicquam evenire ob modum fortè peccandi incognitum, aut legis argumento actuum contrariorum infrequentiam feliciter obliterato. Ita si fortè aliquo in loco violationem maritalis tori mulieres ignorent (quamvis hæc simplicitas in tanta temporum nostrorum petulantia vix præsumitur) merito rectori prudentiæ fatius videatur, furtivos unius fortè exorbitantis amplexus, marito non renuente, secretâ potius animadversione ulcisci, quàm ultione publica ad inficiendas aliarum mentes in lucem diemque protrahere. Imprimis enim alliciendo est illiciti amoris pulpamentum, insanique pruritus, ubi semel Remp. invasere, quo in aliquo fortius premuntur, eo in alio magis exuberant. Quam causam subesse putem, cur Scabinatus Lipsiens. teste Carpz. p. 3. qu. 150. n. 80. pœnam adulterii, causis mitigationem suadentibus, non aliter quàm in relegationem convertat; quod conversatio Personæ fœdifragæ in loco delicti nimium contagio futura esse credatur.

§. XI. Secunda remittendi causa, spontanea est Confessio: si ipsa sc. facti

sc. facti conscientia fontem ad Tribunal deducat ad faciendum seipso occulti criminis indicium. Ita communiter DD. censent apud Carpz. *Qu. 149. n. 31. Wehsenb. in Paratit. ff. de Pœn. in fin. rationibus suffulti* (1.) quod semper mitius agendum sit cum sponte confessio quam convicto. *l. 5. §. 7. C. ad Leg. Jul. Majest. c. non dicatis. 12. Quest. 1. c. qui admisit 15. quest. 8. & in cap. innotuit, in med. de Election. (2.)* quod ultro confessus misericordiam consequatur *l. unic. C. Ne Tutor vel Curat. vectig. conduc. Auth. Novo Jure C. de Pœn. Judic. qui male judic. l. 13. princ. ff. de Jure Fisci.* Ita Domitianus cum Stupratores Corneliæ Virginis Vestalis virgis ad necem cædi jussisset, Prætorio viro, quod dubia etiamnum causa de se professus esset, exilium indulgit. *Tranquill. in Domitian.* Hanc ideo causam alii earum in numero reputant, quæ Judici quoque ad Remissionem pœnæ ordinariæ sufficiat, addita tamen limitatione, id valere, (1.) Ut pœna aliquatenus duntaxat mitigetur, rotæ v. g. supplicio in gladii, gladii in fustigationem converso, non etiam ut penitus tollatur. (2.) Si confessio fiat, antequam Reus in Carcerem detrudatur. Insuper (3.) in mero Judicis arbitrio hoc esse situm, pœnamne remittendam, an suadente delicti atrocitate præcise injungendam sibi putet. *Carpzov. loc. cit.* At Ultronea Confessio ejusmodi esse mitigandi causa non videtur, quæ in ipsa delicti naturâ sese fundet, ejusque intrinsecè foeditatem imminuat, qualiter comparatas, quæ ad Judicis Remissionem faciunt, antè determinavimus; nec aliud citati textus suggerunt, quin apertè potius ad Principis gratiam se referant. Quæ res distinctionem nobis svadet, quâ ob Confessionis spontaneum non aliter Judici jus remittendi competere arbitremur, ac si illud interioribus mitigandi causis sit implexum, quas in ipso delicti facto subsuisse postliminiò arguat, ut: peccatum forsan esse non tam dolo quàm animi levitate; aliquo necessitatis impulsu, parùm reputatâ facti atrocitate; non ejus circumstantiis abundè cognitis, quas si delinquens scivisset, facinus fortè admissurus non fuisset. Horum enim alicujus plerumque propria confessio præsumptionem inducit. Quare & limitationem *Carpzovii* etiam de arbitrio intelligimus *judicii non gratiæ, juris applicandi non faciendi.* Illud solùm Magistratus est, quem propterea ob nudam ejusmodi confessionem & nisi alia ei innexa sit causa interior, nec pœnam mortis, nec Mortis pœnæ genus immutare posse ve-

rius est per Nov. 82. c. oportet. in verb. neque videri, & argum. l. 1. §. 27. de question. Docente ipso Carpzov. Quest. 150. n. 56. & seqq. Potius quicquid spontanea Confessio ad pœnæ relaxationem ponderis afferre potest, propria æstimatum indole, Principalem respicere indulgentiam videtur, huc enim tendunt ll. quarum nos ultimam Rationem à regulâ nostrâ arcescimus: Scilicet quando ultronea peccati confessio ex singulari vitiorum aversatione provenit l. 5. §. 7. C. ad L. Ful. Maj. utique Confessus, qui animum impostero peccandi ipsum ejurasse censetur, præcipuam pœnæ infligendæ rationem ultronea emendatione occupavit. Hac igitur parte quod punias nihil adest, potius futurum creditur, ut delinquens in tanto confirmatæ indolis ardore plus impostero exemplo profit quàm offecit olim. Contra sentit Mathæus de Crim. p. m. 814. Argumentis nixus (1.) quod de Confessis tanquam convictis supplicium sit sumendum. l. 5. D. de Cust. Reor. l. 1. §. si quis ultro. D. de quest. l. qui sentent. 16. C. de pœn. R. est ignoratio Elenchi. Distinguendum inter Confessionem & Confessionem spontaneam, inter eam quæ fit post accusationem non expectatis tormentis, de qua speciatim intelligenda l. cit. 1. de quest. & quæ ante accusationem, nemine deferente. it. Inter jus remittendi Principis & Magistratus. (2.) Quòd pœnitentiâ suâ nemo nocens esse desinat, eò nec crimen semel admissum confessione purgetur. R. 1. Neg. anteced. omnino pœnitentiâ sua quis nocens esse desinit, si non in præteritum tamen futurum. 2. Est fallac. consequ. nec pœnâ crimen expurgatur, factum enim est, infectum fieri nequit, id tantum per illam evenit, ut quis impostero peccare velle desinat, quod cum ex ultronea peccati confessione nihilominus futurum præsumatur, non adeo opus est pœnam immitti. Illa modò non insuper habenda, quam l. cit. 5. §. 7. C. ad L. Ful. Maj. distinctionem involvit: Veræne laudis studio, an ipsis nequitiae furis ad edendam confessionem compulsus quis fuerit; quod ex delicti natura ac delinquentis conditione haud difficulter colligitur. Sæpius enim homines ubi concatenatâ immanitate ipsam quasi conscientiam enecasse ac oppressisse sibi videntur, tandem tamen justo Dei judicio callo detracto immani desperationis vertigine & crebris tortoris flagelli ictibus ad propriam agitantur perniciem; quas devotas pœnæ victimas Reip. dispendiis diutius enutrirî omnino Rectrix prudentia non patitur.

§. XII. Tertia quæ Principem ad ignoscend. movere causa queat est ardens pœnitentia, ea potissimum, quæ accusationem antevertit. Magis enim infucata censetur, cum quæ post acceptum demum iudicium emicat, plerumque formidini pœnæ debeatur. De qua, an satis seria sit, vix est, ut homini innotescat.

§. XIII. Quarta emergit causa: spes emendationis liquidis bonæ indolis indiciis inducta. c. convenientibus 1. qu. 7. de qua, quod eod. fundamento nititur, iudicium fieri potest ex iis, quæ de spontanea confessione modo deduximus. Pertinent huc delicta, quæ vocantur, Juventutis; quibus æqui morum censores haud ægrè veniam adjudicant, ubi post despumatam ætatis fervorem ad moderata animus regreditur; secundum Juvenalis illud: sat. 8.

Quædam cum primâ refecantur crimina barbâ.

Magistratum potestatem in his sat validam non esse vel ex l. 65. D. de furt. innotescit, sique nihilominus aliquando ei locus esse videatur, id obtinet ignorantiam facti, aut geminis jure ipso proficuis intervenientibus. Conf. Struv. Exer. 49. §. 89. At in Principe, certum est, valere illud Quintiliani: *Nemo dubitat, quin si nocentes mutari in bonam partem aliquo modo possint, sicut posse interdum conceditur, salvos eos esse, magis è Rep. sit, quam puniri.* Conf. Grot. l. 2. c. 20. §. 11. & 12.

§. XIV. Vi regulæ secundæ propter rationem finis oppositi æque utilis aut necessarij, causæ quæ indulgentiam suadent, emergunt sequentes. Prima cluet benè in Remp. merita sive propria sive majorum. Reip. enim una semper & indivisibilis anima est, quibuscunque extinctis qui eam primò cives tenuissent. l. 56. D. de usufr. Nec igitur hominum egregiè in eam merita ita intercidunt, quin perennem potius illius in spiritu spiritum trahant, quid mirum, si delicti quandoque pœnam imminuant, facta morali compensatione, ut quantum hoc in Remp. damni, tantum illa emolumenti intulisse censeantur? Ita M. Antonius liberavit M. Aquilium, manifestum criminis repetundarum, dum causâ prope peroratâ in conspectu omnium constituto ei tunicam à pectore abscidit, ut cicatrices Pop. Rom. & iudices aspicerent adverso corpore exceptos. Cic. in Ver. Est hanc in rem mascula Scipionis ap. Valer. oratio: *non reddo, inquit, P. C. arario vestro H. S. quadragies rationem alieni imperii minister, quod*
meo

meo ductu meisque auspiciis bis millies H. S. uberius feci. Hoc tali casu nunquid potius è re futurum civitatis dicemus; virtutis damnatione cavere à lapsibus, an data lapsui impunitate ad egregiam excitare virtutem? Multum hic scriptorum indignationem sustinent Urbes Roma & Athenæ, quod claris bello ducibus ob leve sæpius delictum intra se locum non permiserint, quorum fortibus factis ut ipsæ starent loco evenerat. vid. *integr. Val. c. de Ingratitud.*

§. XV. Causam secundam facimus merita futura, si quæ singulariter in delinquente animi dotes portendant. Etenim si ita habet in privatis ex Communi DDrum sententiâ, ut qui damnum refarcit, puniatur mitius, ecquid non idem in Rep. valeat, ubi in compensationem damni delicto dati, totum vitæ proventum impendere quis paratus sit. Est sanè in magnis; ut vis ingenii sæpiusculè à nequitia auspiceretur, adolescentiæ annis malignitatis nubilo perfusis, quo senectutis decus lucidius enitescat. *exempl. vide sis ap. Val. lib. 6. c. de mutat. mor.*

§. XVI. Tertio loco ponimus literarum peritiam, aut aliud insigne artificium, quod delinquens callet, nec minùs corpus militiæ patiens, remque commendantem aliam, quæ modo haud vulgarem Reip. usum præstet. l. 31. *ad bestias. D. de Pœn.* Sic teste Polydoro *Vergil. Histor. Anglic. l. 26.* Quondam in Anglia ob nullum præter Majestatis crimen pœnâ mortis, sed perpetui duntaxat carceris affecti, qui modo legere sciverint. Sed hoc potius affectuum est opus, quod Phryne meretrix, cum capitis causam Athenis diceret, per hoc absolutionem obtinuit, dum Lysias Orator vestem illi superiorem detraxit, quo nudum pectus à iudicibus posset conspici. Ceterùm Magistratus hæc in parte indulgentiam meritò non agnoscimus, at de principali qui dubitaret, næ is pœnæ civilis rationem finemque parum perspecta habeat. Non hæc alio tendunt, quàm ad Civitatis incolumitatem, cui si ab actione opposita pinguius obvenire momentum queat, prudens non sit, qui viliori bono grandius mercari nolit. Quid? quod illi ex opposito fines ipsam sæpe necessitatem contingant, hujusque esse indolis videantur, quos absque insigni Civitatis aut periculo aut dispendio negligere non licet. Sic si Gubernator in navi facinus admisisset, nec alterius foret copia, omnium vektorum salutem enecaret, qui illum ad supplicium raperet. Similiter

liter totius sæpe exercitus, ne dicam gentis, incolumitas ab uno perito belli duce dependet, à quo admissum fortè crimen populare, dummodo illius per id nihil fides fuerit labefacta, præsentis morte ulcisci, id verò Remp. esset evertere. Obj. Math. *l. c. n. 7.* omnes artes, machinas omnes irato Deo frustra esse. *17.* Deum ad pœnam Civilem periclitante licet incolumitate publ. inferendam nos obligasse petit principium.

§. XVII. Quarta Nobilitas succedit; quandoquidem hæc virtute & egregiis in Remp. meritis parta propagataque censetur, quorum intuitu non immerito Principem quandoque veniam concedere ex ante dictis constitit. Imprimis hoc obtinet, si stirps aliqua illustris ad unum redacta surculum ipso amputato planè destituta sit. Regulariter tamen illustris Prosapia pœnam non minuit *l. 1. C. ubi Sen. & Claris.* quod nonnullis visum motis *arg. leg. 6. pr. ad Leg. Ful. pecul. l. ult. D. de incend. Ruin. naufrag. l. 3. §. 5. ad l. Cornel. & simil.* quæ nobilioribus mitiorem pœnam dictare videntur. Enimverò hæc leges aliis contrariis facile compensantur, quam in rem vide sis *l. 8. C. de Episc. & Cleric. c. 4. quest. 6. 32. C. cum quid. de Jurejur. &c.* quæ dignioribus, quia exemplo magis nocent, pœnam potius aggravare videntur. Ad harum inter se conciliationem Carpz. censet: priores agere de pœnis arbitrariis & non uniformibus, quæ sc. ex qualitate Personarum distinguendæ sint per Judicem, in quibus nobilioribus minorem pœnam irrogari posse, dicit, se concedere, non ita in pœnis uniformibus & taxatis à legibus. Hæc causam ferè produnt. Jam igitur in plurimis digniores minori pœna onerantur, quodque pœnæ non sunt uniformes, in his minores, in illis majores, hoc à nobilitate dependet. Exactius Respondebimus, quod pœnæ difformes videantur, id non esse, quasi nobiles pœna minori, graviore ignobiles puniantur, sed ne graviore nobiles, ignobiles pœna onerentur mitiori. Hoc ignotum esse non debet, justitiam vindictivam aliquadantenus esse Respectivam, quæ quidem Personam unam cum altera non confert, pœnam tamen ex Personæ cujusvis Conditione determinat, idque non ut *προσωποληψίαν* induat; sed ne induat, utque verè puniat æqualiter. Quædam enim pœnæ sunt, digniori utique non leves, quæ humili inflictæ mali naturam ferè amittunt, velut ademptio bonorum in paupere & similes; quarum

F

proinde

proinde loco aliæ subrogandæ sunt, in se quidem acerbiores, sed quæ non intensiorem in plebeis effectum producant, quàm in nobilibus istæ. Quod eleganter confirmat *l. 2. C. ut intra certum tempus crim. verb. si Persona vilior fuerit, cui damnum fame non sit injuria, pœnam patiatur exilii.* Conf. Dn. Struv. *Syntag. Jur. Civil. Exerc. 1. §. 32.* Idcirca distinguo inter pœnam dissimilem seu mitiorem in Conceptu absoluto & Respectivo; ut spectatur nudè in essentiâ, utve applicata ad Personam. Illam innuunt leges objectæ, de hac altum in Jure silentium est.

§. XVIII. Quinto huc facit favor matrimonii, cùm initi, tum ineundi. *c. fin. de sent. & re judic. c. mulier. de jurejur.* Hujus enim in honorem multa præter ordinem Legumlatores Romanos constituisse nullibi non jura loquuntur, quid obsit, quo minùs in venia delictis concilianda parilem ejus apud Principem efficaciam deprædicemus cum DD. communiter, quos citatos vid. apud Carpz. *n. 59.* scilicet est conjugium seminarium Reip. quo illa & viris crescit & viribus. *l. 7. §. 3. d. bon. damnat.* Qui præstantior finis sicubi aliquo in casu pœnæ inferiorem deglutiat, expedita ignoscendi ratio est. Et quidem matrimonium initum spectat, quod sæpe Parentibus ob numerosam prolem, quo honestæ ipsius educationi superesse queant, pœnam remitti videmus. *l. cit. 7. de bon. damn. & arg. l. 57. §. 1. de ritu nuptiar.* velut Hadrianum in reis pœnam pro numero liberorum minuisse autor est *Xiphilinus epit. Dion.* & hodiernum prægnantibus pœnam fustigationis in Relegationis converti solere passim notata apud AA. praxis comprobat. Eodem modo Neonymphis ob speratum Reip. proventum rectè quandoque conniveri, nihil est quod dubitemus. Matrimonii ineundi causa est, quod puellæ intercessioni capitis reus donari consuevit Carpz. *n. 48.* Qui rationem hujus ex Chasfano in *Consuetud. Confœd. Burgund.* hanc adducit: quod ducere meretricem major sit pœna quàm feriri gladio, cui secundam ipse addit: quod sic meretricis anima salvetur ipsaque à meretricia vita retrahatur. *c. 1. inter opera, de pœnalibus.* Sed utraque exigui est momenti. Nam nec omnes qui taliter aliquem sibi in maritum petunt, sunt meretrices, nec hoc spectare, ut modo quis affligatur, ad naturam Civilis pœnæ accedit. Sanè etiam quilibet meretricem ducere quam vitam amittere mallet, si id juxtà censeatur. Genuina ratio ex fine matrimonii propendet, quam modo tetigimus. Quæras an hoc non
æque

æque de viro procedat? *ry.* Communiter de puella solùm referunt, quia exempla sunt frequentiora; an ita fiat, aut quod hæ tenerè magis amant, aut potius quod mulierum sociandi ratio multùm est difficilior, nec ipsæ ita pro lubitu nuptias invenire possunt, cum contrà viris facilè pateant januæ, uti non morti demum eripere opus sit, quas nuptiis beent, equidem non determinavero. Omnino tamen, si mares difficilior exaudiuntur, illius hæc causa erit. Interea de his æque procedere constat *ex Carpz. l. c. n. 59.* Quamvis Berolini aliquando lictoris, qui fœminam infanticidii ream ducere paratus erat, preces sperni meminim.

§. XIX. Sexta pœnam minuendi causa est promissio mitigationis vel impunitatis facta à Principe ad eliciendam confessionem. Finis enim hic subest pœnali bono antiquior; ne Princeps fidei ac existimationis jacturam faciat, quibus nihil in Rep. sanctius videri debet. Non idem Magistratui jus est; quandoquidem hic necis in Cives potestatem non habet, ut pollicitatione sua eam queat remittere. *l. 3. pr. ff. de Off. Præs.* Neque tamen magis confessum damnare potest, tum ob fidem impunitatis semel datam, tum quod Confessio judicis dolo extorta ad damnationem minus sufficit Covarruv. *l. 1. Variar. Resolut. c. 2. n. 16. Fachin. lib. 9. Controvers. c. 61. Carpz. qu. 149. n. 1.* Qui proinde consultius censent promissionem impunitatis prorsus omittere, quàm delinquentem, ubi ad Confessionem adegisti, postea tamen dimittere impunitum.

§. XX. Septimò ignoscendi locum facit Revelatio Tractationis vel Conjurationis contra Principem, sive delinquentis diversum fuerit commissum, sive conjurationi ipse etiam obnoxius consiliorum conscios detulerit. *l. 5. §. 7. D. ad L. Jul. Maj. Carpz. qu. 150. n. 2.* summopere enim Reip. interest, infames machinas emanare in lucem, quod ita faciliùs obtinetur, si indicanti spes proftet impunitatis, uti id historiarum ab omni ævo monumenta testantur.

§. XXI. Octavo denique sæpius à pœnâ liberat multitudo delinquentium, si Universitas, si Provincia, si integer populus deliquerit. Etsi enim paria aliorum facta allegasse delinquenti ratione imputationis patrociniùm minimè parit, sæpe tamen parit ratione punitionis, dum membra laborantia Magistratus ideo atrectare non audeat, quod iis amputatis parum omnino in corpore sit remansurum;

aut quod omnes plecti crudelius videatur, ideo in delinquentium multitudi-
ne duces solum & factionis capita præscindi, & è turmis mili-
taribus in communi flagitio forte & decumatione fontes ad suppli-
cium evocari receptum est. Scil. rectoris est prudentiæ providere ne
quæ servandæ societati humanæ inventa est Justitia, ad eam everten-
dam magis valeat; quam in rem elegantes sunt *Luciani versus. l. 2.*

*Dumque nimis jam putrida membra rescidit,
Excessit medicina modum nimiumque secuta est,
Qua morbi duxere manus; periere nocentes,
Sed cum jam soli possent superesse nocentes.*

Quandoque ideo est, quod pœnæ executio nimium punienti oneri
sit futura, fortè etiam ipsius superatura vires, ubi multo consultiùs,
iram dissimulare, quàm debilitatem prodere. Ita subinde in perse-
cutione veneficii, numero eorum, qui indicio onerantur, judicem ad
deserendum inquisitionis negotium adigi experientia loquitur. Conf.
Tit. D. si Famil. furt. fecit.

§. XXII. Tertia denique pœnæ remittendæ ratio, quam supra in
eo collocavimus, si fines pœnis præstituti alio modo æque commodè
obteneri possint, & ipsa aliquot ex se causas impellentes desudat,
quarum Imam facimus diuturnam rei in carcere detentionem. Jam
enim hæc & emendationi & exemplo satisfecit. Quin iniquum vi-
deatur reum hoc modo non leviter punitum ulteriori supplicio subji-
cere. *l. 23. C. de pœnis.* Distinguo tamen num id culpa evenerit ipsius
rei, ut puta ob confessionem pertinaciter protractam, quo casu sibi
imputet quod propria voluntate malum sensit; An vero judicis
mora, aut causæ ipsius difficultate, qualiter non immeritò Principis
sublevationi locum fore censemus.

§. XXIII. Secundò pœnæ tollendæ servit, si delinquens verbis
emendari posse videatur, aut si læso per transactionem satisfecit, aut
denique si finis supplicii capitalis alio puniendi genere æque videatur
obventurus, ut more hodierno; damnatione ad carceres perpetuos,
vel bellum Turcicum. Sed quia tamen uno fine sublato non actutum
pœnæ usus tollitur, qui adæquatè ab omnibus dependet, facile liquet,
illud præterea hic requiri ut nec delictum exemplo sit obnoxium,
aut saltem & hoc aliter suppleri vitium queat; & speciatim, Trans-
actio cum parte offensa non præjudicat Reip. quo minus ipsa quan-
tum

tum delinquentis facto detrimento cœpit, tantum ex illius afflictione sibi quærat adjumenti.

§. XXIV. Ad hanc classem referri potest, quod dimittendum censent eum, qui rupto laqueo, è quo suspensus erat, vivus in terram recidit, it. eum cui non uno ictu resecta cervix fuit. Equidem quin hæ causæ ad Judicis condonationem non sufficiant, planè nullus ambigo, sed quid si ad clementiam Principis eliciendam non omni prorsus pondere destitutas dicamus? Nihil hic miraculi fatique divini agnoscimus, quod damnatorum innocentia faceret indicium, quia sane homini de his nihil constat. Magis hoc est, ut poenam tali casu jam finem suum obtinuisse putemus, licet nondum fuerit consummata, idque tum in ipso delinquente, cui mortis horror & inchoatio, ad eum emendandum pro morte esse queant, tum in aliis, qui exempli usum maximam partem à supplicii apparatu & solennibus arcescunt. Quâ in re vix est, ut delinquentis iterata afflictione, & pleno supplicii eventu opus esse videatur.

§. XXV. Hæ sunt quas ad illustrandam aggratiationis naturam causas impellentes in medium proferre libuit. Oppido autem plures præterea aliæ & tantum non infinitæ sunt, de quo non animi pendeat, qui Principalis arbitrii latifundia condignè secum reputaverit, cujus à determinatione potius quàm juris dependet, quid Princeps gratiâ suâ non indignum judicet. Ita in honorem religionis apud Pontificios occursum Cardinalis, & olim Romæ virginis vestalis, dummodo juraret illa, se non data opera sed fortè occurrisse, id valoris obtinuerunt, ut ductus ad supplicium felix inde liberationis auspiciis acciperet. Hodienum nihil peccatorum Principem censemus, si Judæo forte aut hæretico, ad inducendam civibus sacrorum venerationem, quod is ad fidem nostram sincerè animum applicuisset, criminis poenam remitteret aut nonnihil mitigaret; si maximè id non evincat. *l. i. C. de his qui ad Eccl. conf.* Adhuc quær. *An amoris æstus homicidio inter corrivales commisso gratiæ quid conciliet?* Equidem hujus in poenarum finibus rationem non reperio, quamve ex amoris insaniam vulgo educunt, si quid valet, jus potius Magistratus concernit. Quærere dein lubet; *Num etiam absque causa ignoscere Principi liceat?* *ri. dist.* absque causa ignoscitur vel negativè, ut publ. bonum non exigat; vel privativè, ut repugnet. Posteriori modo Neg. Aff. priori;

idque quia Princeps est causa causarum, uti in simili legitimationis negotio concludunt DD. Denique illis causis, ob quas etiam Magistratus remissio valet, tanto magis in Principe locum fore, vel me tacentente ratio suggerit.

P U N C T U M II.

De Modis.

§. I. **E** Mensis causarum momenta, & quæ Principem ad operandum impellere, & quæ dirigere solent operantem, paucis nunc inspiciendum se operandi modus exhibet, qui cum non unus sit, nec potestas ignoscendi eadem semper ratione se exerat, exin emerſæ modales aliquot distinctiones actum illius secundum afficiunt & determinant.

§. II. Et primò quidem, quum Princeps quandoque reum initio statim pœnæ eximere, quandoque aliquantum tempotis maceratum, postliminio quasi gratiâ sua revisere consuevit; Hinc aggravationem distinguere est in *Remissivam* in specie sic dictam & *Restitutivam*. Illa pœnam arcet infligendam; hæc tollit inflictam, estque qua Princeps sententiam passos integritati suæ redonat. Quod cum regulariter per rescriptum fiat, quæstio incidit: an Rescripta hunc in finem emissâ restrictius sint interpretanda? Affirmat. Matthæ: *l. antè cit. p. m. 849. n. 6.* quia sc. annitendum fit, ut quàm minimè in publica commoda peccetur. At verò, quia Restitutio publicæ utilitatis gratia fieri præsumitur, contrarium potius infertur; rescripta plenius esse interpretanda ad modum aliorum favorabilium *l. 3. D. de Const. Princip.* Adhæc Judici publicæ utilitatis æstimatio non competit, ut secundum eam Principis voluntatem extendendo aut restringendo interpolet; *l. 21. D. de LL.* nisi quæ evidentè impingant, de quibus rem ei ad Principem deferre licet. Ea de causa rescripta restitutoria ego simplicis esse interpretationis existimo, quibus nihil addendum, demendum nihil, omne tamen comprehendendum, quod verba includunt, & comprehendisse Princeps videtur. Idque quia aliquid præter jus commune modo constituunt singulari, in quibus maxime opere verbalem sensum attendendum esse constat. *arg. l. cit. 21. §. l. 16. D. de LL.*

§. III. Restitutio subdividitur in *Plenam* & *Minus-plenam*. Plena est, quâ restitutus recuperat omne id, quo excidit. ut si dixerit Princeps:

ceps: Restituo te in integrum, completa est indulgentia & recuperat restitutus Patriam, bona, honores & omnia. *l. 1. C. de sent. pas. & rest. it. si dixerit: Restituo te dignitati & bonis, reditus quoque in patriam & potestas in liberos continetur. l. ult. §. fin. C. eod.* Majus enim includit subordinatum minus, nec potest abesse quod præsupponitur. Minus-plena est; qua restitutus partem solùm eorum recipit, quæ amisit; ut si dixerit Princeps: Restituo te Patriæ & bonis, præter bona honores non recuperat, aut si dixerit: reditum in Patriam tibi concedo; aut pœnæ gratiam facio, bona haudquaquam redonasse censetur, per *l. 2. 3. 4. 5. 6. C. de sent. pas. & rest.* Vid. Math. *loc. cit. n. 8.*

§. IV. Eodem modo Remissionem in specie dictam dividere est in *Totalem* quâ pœna integra tollitur & *Partialem*, qua debita minuitur. *Illâ impunitas; hæc mitigatio* audit. Rursus istæc mitigatio, quæ per mutationem pœnæ gravioris in leviolem fieri intelligitur, vel est *secundum genus*, cum ipsum pœnæ genus mutatur, ut corporalis in pecuniariam, pœna mortis in Relegationis, vel *secundum gradus*, cum retento pœnæ genere gradus duntaxat & asperitas illius minuitur, velut rotæ supplicio converso in pœnam gladii, multæ majoris in minorem.

§. V. Secundo, prout causa, quæ ad indulgentiam Principem impellit, vel est pluribus communis vel uni propria, ita aggratiatio quoque evadit vel *Generalis*, cum ob publicam gratulationem, aut lætiam, velut novi Principis inaugurationem, aut rem domi forisque feliciter gestam omnibus & singulis aut saltem leviorum criminum reis venia conceditur. *l. 8. & 12. D. ad S. C. Turpil.* quod sæpiuscule fieri solet fune per plateas tracto, in quo Principis gratiam serio ambeuntes apprehendant. Vel deinde *specialis*, quæ uni singulariter personæ contingit, prout hujus indulgentiæ plures retrò causas enarravimus.

P U N C T U M III.

De Effectibus.

§. I. **U**T nihil est eorum quæ rationali ductu ad agendum procedunt, quin fini societ effectum & cum agere nisi propter finem non possit, nec desinere in agendo nisi obtento effectu velit, ita etiam Princeps suæ lenitatis æternatura inter subditos monumenta extare frustra expetet nã ipse erigat, actionis suæ obtinendo effectus, quos ante fines intendit. Illos nunc in Aggratiatione expendemus cum *positivè*, qui sint, tum *negativè*, qui non sint, etsi videri prima fronte poterant.

§. II. *Primus* Indulgentiæ effectus in eo lucet, quod accusatio absque regressu penitus perimatur, quo hæc abolitio differt à publicâ illâ, quam ratione feriarum certo tempore indictarum ex decreto Majestatis rei consequuntur. Hæc enim non tam aliquod delicti genus tollit, quam modo
ejus

eius accusationem suspendit, atque ideo finitis feriis accusatori permiffum est repetere reum, dummodo intra tempus statutum id faciat *l. 1. l. 2. C. de Gener. Abol. Peretz in h. t. n. 2.*

§. III. *Secundus* est, quod crimen extinguat, non id quid. *Physicè & formaliter*, quia factum nulla potentia redditur infectum, attamen *moraliter & effectivè* inhibendo criminis effectus ratione tam imputationis quam damnationis, ferè uti per fidem in Christum obtentâ peccatorum remissione, præter extinctos suppliciorum metus ipse quoque in fidelibus reatus aboletur, unde impetrata legitimè gratiâ à Principe, potest reus crimen, si velit, planè inficiari, & communiter culpa etiam literis inserta vetatur illi deinceps objici. *Per l. c. n. 8.*

§. IV. *Tertius* succedit, qui est, quod pœnam aut imminentem arceat aut perimat inflictam; hicque ceteris conciliat amabilitatem & illi propter hunc cumprimis expetuntur: Et si verò pœnæ remissio non simul continet abolitionem infamiæ, nec ideo impetrata delicti veniâ simul quis existimationi suæ redonatus censetur. *l. 3. de gen. abol. habet tamen hunc effectum restitutio in integrum, (quam in quantum pœnas respicit pro vera aggratiationis specie supra censuimus) si modo in Rescripto gratiæ Princeps nominatim potentiæ, fortunæ, famæ recipiendarum mentionem faciat. l. 1. C. de sent. pas. quod hodie communis styli est, ut ei, qui literas gratiæ impetravit, etiam famæ fiat restitutio notante Per. per l. 13. §. fin. C. de sent. pas.*

§. V. Aggratiationis Principalis ultra Territorium effectum non fore facile liquet ex *l. fin. D. de Jurisdic. Speciale* est, quod nec Imperator ei, qui in Territorio alicujus Imperii Status deliquit, indulgere impunitatem possit, ut in delicti domicilio liberè ei versari liceat; quia, dicunt DD., ipsi Status in concessis non cumulativè sed privativè sunt investiti. *Herm. Fasc. l. P. c. 11. n. 123.* Ceterum neque ad id Principis indulgentia est comparata, remissio delicto quæ id damnum Reip. conciliat, ut simul pœna vel interesse remissa censeantur, quæ ratione ejusd. per civile judicium privato, partique læsæ debentur. *l. 1. §. 1. Comm. Prætor. l. 7. & 13. pr. ad L. Aquil. Neque enim suam benignitatis gloriam Principem convenit ex incommodis arcescere subditorum, nec magis quam privatorum Transactio non præjudicat utioni publicæ, publica remissio juribus officiet privatorum.*

TRACTATIO II. RELATA. PUNCTUM I.

De Cognatis.

§. I. **C**ognata Indulgentiæ Principalis se offerunt (1.) Pœnarum dilationes. (2.) Abolitiones. (3.) Remissiones Magistratus.

§. II. Pœnæ dilatio si est longiuscula ob causas extra puniendum positas jureque non statutas æque ac ipsa Condonatio Principalis est Majestatis. *l. 18. C. de Pœn. & l. 244. D. de V. S. fitque vel delinquente non damnato per modum dissimulationis & pressâ ob Reip. necessitates indignatione, uti evenit de supplicio Joabi, 1. Reg. 2. v. 5. vel eo damnato aut saltem accusato, per modum pro rogationis, cum gratia motus Princeps feralem mortis horam reo petente ad res suas componendum, aut prospiciendum liberis aliaque de causa ad tempus inhibet & suspendit. Cujus exemplum in Lynceste, quem tertium jam annum in vinculis Antipatri preces servabant. Vid. ap. Curt. l. 7. Ceterum Judex etsi pœnâ dictatâ ejus executionem prolixiori morâ suspendere non debet, ne ideo quidem, quod damnatus dicat, se habere quicquam de quo Principem moneat ad statum ejus pertinens l. 6. D. de Pœn. Peretz in T. C. de Pœn. n. 26. Ob causas tamen intra damnatum constitutas uti morbum l. 22. D. de Pœn. prægnantis uterum l. 18. D. de St. Hom. l. 3. D. de Pœn. hisque gemina ipse quoque pœnam rectè differt. At unius alteriusve diei usuram etiam extra has causas indulgere Judex potest, tanto magis multæ exactioem ad minus delinquentis incommodum dirigere ipsi licebit l. 6. in fin. de Off. Præs. omni que modo id agere, quo pœna à lege ordinata benigniori in reum tramite descendat l. 9. D. de R. I.*

§. III. Abolitionis essentia consistit in liberatione, quæ vel est *ab Accusatione*, quam ei qui temere ad accusandum processit ad petitionem ipsius Judex indulget. *Tot. Tit. C. de Abol. vel a Crimine, quam reus consequitur aut ipso jure, ut ratione feriarum; aut ex Majestatis decreto, propter emergentem lætitiâ aut gratulationem publ. quæ se est dilatoria & judicium duntaxat suspendit; si namque crimen prorsus tollat, aut si mitiget saltem; ipsa est Principalis Aggratatio, inter modos retrò à nobis relata. De jure remittendi Magistratus, quia passim mentionem injecimus, nunc memorasse nihil juvat.*

PUNCTUM

De Opposis.

§. I. Oppositum potestatis ignoscendi non est potestas puniendi, sed quod ab eâ *fit in excessu* siue defectu declinat. Utrumque est vel *Reale* vel *Doctrinale*. Reale in excessu si ex duritie habitu provenit, Tyrannis audit; sin ex proprii juris ignorantia: superstitiosus rigor. In defectu Remp. affligit promiscua lenitas & indulgentia. l. 52. ad L. Aquil. l. 6. §. illi. it. C. de operib. publ. quæ cum ad peccandum homines alliceat, ipsam Majestatem ream facit criminum, quæ in aliis vindicare neglexit. Sicut Henricus Rex Angl: cum Homicidam amicorum precibus donasset, isque iterato facinus admisisset, iisdem nunc quoque deprecantibus, Rex animo perculsus ait: ille unum tantum priorem interfecit; sed istum posteriorem ego interfeci, qui primam cædem debite non punivi, jussitque ut de malefactore primo quoque tempore supplicium sumeretur. Herm. l. cit.

§. II. Oppositum Doctrinale in Excessu est Stoicismus. In defectu Politicismus Aulicus; seu opinio eorum, qui pœnam veniamque præsentis non nisi lucri modulis & apparenti ante pedes posita utilitate metiuntur. De quibus omnibus aliquanto dicendum pluribus fuisset, ni nunc lætior ratem portus invitasset.

IN SOLIUS DEI GLORIAM.

I M P E R T I N E N T I A.

- I. *Jus Civile Romanum in Imperio nostro videtur consuetudinarium.*
- II. *Obligatio mere Civilis nulla datur.*
- III. *Divisio Cognationis in Agnationem & Cognationem in spec. sic dictam, quarum illa fit inter conjunctos per sexum masculinum; Hac inter conjunctos per sexum fœminin. est incongrua nec ullibi minus quam in jure reperitur.*
- IV. *Inter permutationem & contractum do ut des nihil discriminis agnoscimus.*
- V. *Immobilia Professorum in districtu Urbis sita, in tantum ejus Jurisdictioni sunt exempta, ut ne quidem secundum civitatis statuta in iis succedatur.*
- VI. *Princeps legibus Civilibus absolute est solutus; non attentis vulgi distinctionibus inter vim coercitivam & directivam, inter actiones Principis, ut Principis & ut Civis.*

Ad Clarissimum, A utissimum, omnique eruditionis genere Consummatissimum VIRUM

D. P R Æ S I D E M.

ALEXANDRI PAGENSTECHERI, LL. St.

Elegia Congratulatoria & ἐγκωμιαστική.

E Loquar, atque novos CRUSIO gratabor honores?

Aut melius pressis conticuisse labris?

Certè aliquid, (nam non malo malè gratus haberi,

Nec pepuli ex animo tot benefacta meo)

Vel crasso, texam, filo levidense poëma,

Atque canam CRUSIUM vel rudiore metro.

Ergo leves cogor, CRUSI deducere versus?

Non valet ad laudes fistula nostra Tuas:

Istas grandiloqui possunt cantare Marones:

Ludit in exiguo cymbula nostra lacu.

Majores majora queunt conarier: at nos

Duximus in Pindi somnia quando jugis,

Incultus

Incultum tenui meditatur arundine carmen;
 Atque fatigamus per leviora diem;
 Aut teneræ canimus vanas Amaryllidis iras;
 Aut Glyceræ risus, Castalidumque choros;
 Aut pecudes, Mēlibœe, tuas: nunquam ardua, nunquam
 Doctorum titulos nostra cicuta canit.
 Ergo nec ad vestras laudes assurgit honoro,
 Magne Vir, at gracili carmine serpit humi.
 Et cur Te laudem? Proprio splendet honore,
 Nec nostræ, virtus, indiga laudis eget.
 Doctrinam memorem? frustra. Tu corpus & ora
 Bellerophonteis commadefactus aquis.
 Cur *φιλίαν σοφίας*? sedet Tibi: ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ:
 Non Tu Cartesii, non & Aristotelis,
 Ulliusque hominis iuras in verba magistri;
 Dogmata quæ profers ex ratione probas.
 Te certè in dias prodeuntem luminis auras
 Conspexit placido lumine diva Themis;
 Te Charites sinu natum fovère sorores;
 Te *Σοφίη*, Phœbus, Jupiter æquus amat.
 Tu quoque *Theiologæ* non os ignobile *Suadæ*
 Hæreticum rides doctior omne genus;
 Hanc colis, hac Tu Te oblectas noctesque diesque
 Præcipuè, & ternâ victor in arte clues.
 Sed quid ego? en nitidam gemino diademate frontem
 Ornabunt jam nunc Eunomie atque Themis.
 At tibi cur tristis caperat frons invidæ? *lauri*
 Emeritâ doctum cingit *Aperta caput*
 CRUSIADÆ? summis (cernis? cur ringere frustra?)
 Doctorum titulis attamen auctus abit.
 Scilicet, hoc est per studium, curasque, laboresque,
 Egregium capiti promeruisse decus,
 Quod superest: tantos latus Tibi grator honores,
 Quos Tibi sudores emeruère Tui,
 Clare Vir, & nostri semper fax clara Lycæi:
 Vicisti: studii sume *βραβεῖα* tui:
 Vive, Vale, semper felix: ignosce poëtæ,
 Ecce potestatem nam dedit ipse Tibi.

E I N I S

Duisburg, Diss., 1661-33

(1)

ULB Halle

3

004 527 046



Sb

107



PULGENTISSIMO!
URIDICUS,
674
NOSCENDI,
aggratiandi
S U
I M Æ
m Universitate
URIDIC Æ;
C U R A
itur
E S
CRUSIUS,
fessor Ordin.
E N T E
IO HERLET,
Stud.
DC. LXXIV.
R H E N U M,
N E M S A S,
ypogr.

BT
4